



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Onuphrii Panvinii De Trivmpho Commentarius

Panvinio, Onofrio

Helgestadi[i], 1676

urn:nbn:de:hbz:466:1-10300

HT
LUM

45

Th. 4745.

Al. II
19



ONUPHRII PANVINII
DE
TRIVMPHO
Commentarius,
NOTIS ET FIGVRIS
illustratus

A
IOACHIMO IOHANNE MADERO.

ANNO, QVO AB
VNIVERSIS
CALIDIS DESIDERATVR
VOTIS



1676

HELMESTADT,
Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

ON THE ART OF PAINTING

OR

TRIUMPHO

COMMEMORATIVO

NOTIS ET FIGURIS

Illustratus

IOACHIMO IOHANNIS MADRID.

ANNO DOMINI

MDCCLXXII

CALIDIS PRESSORUM

Votis



Helmstadt

This Historic David's Muffin Book



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

D. AUGUSTO
FRIDERICO,

DUCI BRUNSVICENSIVM AC
LVNEBURGENSIVM,

PATERNÆ AVITÆQUE VIRTVTIS ET
GLORIÆ HÆREDI ATQUE ÆMV-
LO ACERRIMO,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

PROSPERA QVÆQVE
PRECATUR

SERENITATI EIVS

DEVOTISSIMVS

IOACHIMVS IOHANNES MADERVS,



FFERO DEDICOQUE SERENITATI
TUAE, quem ONUPHRIUS quondam,
Vir celeberrimus, de TRIUMPHO scri-
psit *Commentarium*, meis qualibuscun-
que *notis* explanatum: quod, sive TRI-
UMPHATRICEM à tot seculis DOMUM VESTRAM,
sive IPSAM CELSIT. TUAM, Heroicasque Eius
Virtutes, quibus affatim à Deo est instructa, respi-
ciam, omnino non reperiam, cui justius eum con-
secrare possim. Solebant Romanorum quique no-
bilissimi *in prima adium parte*, annexis titulis cui-
que debitis, *locare expressos cera majorum vultus,*
ut eorum virtutes posterì non solum legerent, ve-
rum etiam imitarentur. Quod si ego in hoc qua-
si libri atrio exponere illa Reipubl lumina atque
ornamenta velim, quæ longa serie, ab octingentis
& ultra annis, è florentissima DOMO VESTRA or-
ta, æterna in laude versantur; vereor ut tempus po-
tius & charta me deserant, quam Ipsorum fortiter
feliciterque gesta. Cui namque, ut ab hoc tantum
ordiar, non est notus Ille BRVNO, LUDOLPHI,
Fundatoris Gandersheimensis Collegii, non degener
Filius; BRUNONIS, Fratris Magni WITIKIN-
DI, nepos; Vestræ conditor BRUNSVIGAE, pro
patria

Valer. Max
lib. 5. cap 8.
Plin. lib. 3.
5, 2a

Emmius in
Geneal.
Append.
p. 150.

patria non timidus mori: Fraterque Ipsi **OTTO**,
magnus **SAXONIAE DUX**, post *Ludovicum IV. ultimum Carolinorum* ab omni Francorum & Saxo-
num populo ad Imperium vocatus? Quis hujus
ignorat filium **HENRICUM**, qui primus libera
potestate in Saxonia regnavit: Regum maximum, to-
ti mundo necessarium; postque excellissimos trium-
phos de *Abotritis, Bohemis, Ungaris* (de quibus et-
iam hanc **SCHENINGAM** suam tropæum constitu-
it *are perennius, duraturumque,*

*Donec erit tellus, sidera donec
erunt)*

PATRIS PATRIAE elogio honoratum, atque *Impe-
ratorem ab exercitu more militari consalutatum?*
Quis **OTTONUM** Augustissimorum trigam?
quorum primus ac maximus, nobilissimam ac fami-
geratissimam *Lombardia provinciam, Viridarium*,
Imperii ab Ipso appellatam, eidem Imperio singula-
riter incorporavit: *Johannem XII. malè viven-
tem, Piscatorisque cathedram improbe sordidantem,*
deposuit: *Lotharingiam, quæ tunc tertia pars FRAN-
CIÆ fuit, Regem ac Prælatos Francia perpetuo ab-
jurare coëgit: Arelatense regnum, Burgundiam,*

) : (3

Alsati-

Adā. Brēm.
lib. 1. c. 14.
Ditmarus
lib. 1. pag. 3.

Wirichind.
Annal. lib.
1. pag. 6.

Chron. Sax
vctus, ad
an. 917.

Wirichind.
lib. 1. p. 14.

Theod. Ni-
cm. Tract.
vi. cap. 33.

Alsaciam subjugavit: *Boëmos, Hunos, & Auares*
de vicis, atque itidem PATRIAE PATER, & Desi-
derium mundi; & Magnus Augustus, ab omni popu-
lo appellari meruit. Ne per reliquos eam, sive OT-
TONES, sive HENRICOS, omnes Imperato-
res, fama ad sidera notos: LOTHARIUM, pa-
riter Augustum, OTTONUM imitatore[m] & hære-
dem Christianissimum, victorem frequentissimum,
avum HENRICI, LEONIS cognomine de-
corati, à quo continua serie descendunt, quot-
quot adhuc cœlesti beneficio supersunt, SERENIS-
SIMI BRUNSUICENSIVM AC LUNEBUR-
GENSIVM DUCES. Qui Princeps Principum
terra, divitiis locuples, clarus victoriis, & propter
geminum BAVARIAE ET SAXONIAE Ducatum
sublimis in gloria sua, fortunatus in praeliis Dux; ut
ostenderet, quam instar fortissimi beluarum leonis
ad nullius paveret occursum, quantiq[ue] faceret moli-
tiones tot & tam potentium, quos tunc habebat, ho-
stium, crexit Brunswiga LEONIS AERE EFFIGI-
EM, etiam nunc ibi conspicuam, animi imperterri-
ti evidens indicium. Cujus Filius OTTO, iterum
Imperator ejus nominis Quartus, majoris animi
quam fortunæ Princeps, in Arelatensi quoque re-
gno,

Theod.
 Engelhus.
 pag. 220.

Helmold.
 lib. 2. c. 6.
 & 7.

Id. lib. 1.
 p. 211. Letb.
 Chro. p. 22.

Albertus
 Stad. ad
 an. 1166.

gno, nondum eo tempore ab Imperio abalienato,
habuit GERVASIUM istum *Mareschallum*, sive ut
Niemius vocat, *Oratorem & Cancellarium*, ex cu-
jus de OTIIS IMPERIALIBUS volumine tripartito, Lib: 21 de
Schism. c. 19.
Eidem Imperatori tunc dedicato, inclytæ JULIÆ Helmstadt
1678.
Vestrae *νεμηνλιω* egregio, haud ita pridem *Selecta*
quadam edidimus. Et quis novissimos saltem SE-
RENISSIMORUM CELSISSIMORUMQUE, A-
GNATORUM, ET PATRVI Vestri, Tri-
umphos dignis queat exornare laudibus, nedum ut
Eorum, qui ab isto tempore per integra quatuor
secula intercessere, laudabiliter facta brevi oratione
me explicaturum sperem? Quorum de FORTIS-
SIMO POTENTISSIMOQUE GALLIARUM
REGE, vinci fere eo usque nescio, apud *Trevi-*
ros victoriam, captumque cum ipsa Electorali urbe
famosissimum Ducem CREQUIUM, prædicanda
relinquo ijs, qui me in dicendo & perfectiores sunt
& politiores: præsertim cum, qua SERENITATES
Ipforum amplitudine animi sunt, libentius ab in-
secutura hoc expectaturi sint ætate, quam ut pro-
pterea nunc in os laudari velint. Ad TE vero cum
revertor, SERENISSIME PRINCEPS, non possum
non longe majora Christiano Orbi à CELSIT, TUA
polli-

Sueton. in
vita ejus,
cap. 3.

polliceri. Sive enim corporis attendam formam,
non minus auctoritatis in se habentem *quam gratia:*
id quod & de TITO, illo Orbis delicio, prædicavit
vetustas: sive sublimem excelsamque indolem Tu-
am, docilitatemque ad omnes tam belli quam pa-
cis artes: vix octodecim annos natus jam tantus
ac talis es, qui non modo ora vultusque civium,
sed & Exterorum quorumcunque, nupero in ITA-
LIAM potissimum itinere, jam felicissime peracto,
in TE converteris. Stylus hic deficeret, si memo-
rare aggrederer, quantus ibi in oculis & Eminentis-
simorum ROMANÆ ECCLESIAE CARDINALI-
UM, & SUMMI PONTIFICIS, maximeque apud
CATHOLICI HISPANIARUM REGIS, Apuliae
Siciliaeque PROREGEM fueris; quamque ab hoc
cum munificentissime liberalissimeque tractatus,
tum triumphali fere pompa, carpento plane regio
vectus, comitantibus duodecim pretiosissimis alijs,
ducentorumque satellitum caterva stipatus, explo-
sis passim è propugnaculis tormentis aeneis, NEA-
POLIM perlustraris, illam aedificiorum magnificen-
tia, ac palatiorum superbia, urbium nulli, sive in
Italia, sive alibi cedentem (cui & inclytæ profapiae
Tuae

Tuæ HEROS fortissimus OTTO, HENRICI
MIRABILIS Filius, JOANNAE, *Apulia Sicilia-*
que reginae maritus, & per hanc ditionum quoque
istarum moderator summus, *Pater Principum &*
norma Nobilium, Niemio dictus, & *quadragies ju-*
sto pralio victor, ante hos trecentos annos regali po-
testate præfuerat) intermittente nihil etiam po-
pulo, quod ad ingentis lætitiæ, devotissimi que ani-
mi testationem pertineret, NEPOTEMQUE IM-
PERATORIS Te salutante, Ne dicam, quod
Ipse denique SACRATISSIMUS IMPERA-
TOR LEOPOLDUS, jam *Germanici Impe-*
rij pondus, tum *Bohemia Hungariaque* regnorum,
invieta cervice iustinens, TE que forma JUVENEM,
prudencia SENEM inveniens, & plurimis amplissi-
mis honoribus affecit, & Legioni integræ, quæ vel
militum numero vel fortitudine etiam veteri ali-
cui par esse queat, providentissime præfecit; quo
TE prius exercitus, quam populi Tui experiretur
Ducem. Neque enim non cognitum habes,
CELSISSIME PRINCEPS, à militia promanasse
primum gravissimum Ducis nomen, quos vel ipsa
GERMANIA nostra, ingruente bello aliquo,

Niem. lib.
1. cap. 6. &
seqq. Pan-
dolphus
Collen.
lib. 5.

1161P

EX

EX VIRTUTE antiquitus sibi sumere consueve-
rat. Maacte ergo, SERENISSIME DOMINE,
isto robore animi, jam ORBI TERRARUM vel-
utin theatro ostenso! Vince MAIESTATE ET
POTENTIA omni laude cumulatissimos Illos
MAIORES Tuos! Vince gloriosissimæ memo-
riæ AVUM Tuum, VERE AUGUSTUM, SA-
PIENTIA ATQUE ERUDITIONE! Vince PIE-
TATE Ipfius folio jam feliciter infidentem, & qui-
dem, quo felicissimo PARENTE felicior est, in ipsa
BRUNSVVIGA SUA, PATRUUM SERENISSI-
MUM, RUDOLPHUM AUGUSTUM! Vin-
ce PATREM OPTIMUM ANTONIUM
HULDERICUM, & re & nomine nil nisi Su-
MAM GRATIAM COMITATEMQUE spiranrem:
ceterosque TUI STEMMATIS nunc regnan-
tes REVERENDISSIMOS EXCELSISSIMOSQUE
PRINCIPES, ERNESTVM AVGVSTVM,
GEORGIVM VVILHELMVM & IOHAN-
NEM FRIDERICVM, JUSTITIA, FORTITU-
DINE ET MAGNIFICENTIA! Me vero CELSIT-
TUÆ, SERENISSIMÆQUE DOMUS VESTRÆ,
quam

(quam in TE VNIVERSAM non minus colo ac veneror, quam *in uno olim* IGNE, publice in prytanæo culto, *omnes* IGNES venerata est Antiquitas) humillimum fidelissimumque servum, respice eo oculo, quo respicere in primis benignissime antehac dignatus est, nunquam satis laudatus ILLE AVUS TVVS; meque porro, CVM SERENISSIMA DOMO VESTRA, tuendum, fovendum, atque etiam ornandum, si mereor, suscipe. Sic TIBI abunde cuncta proveniant, VICTORIA, OPULENTIA, PAX, COPIA, SANITAS, TRIUMPHI! quo divina Majestate protectus, quam IMPERATOR SUMMUS SERENIT. TUÆ commisit EXERCITUS FORTISSIMI, atque SUPREMUS ILLE MUNDI MONARCHA commissurus aliquando est, ORBIS SUI portionem, felici gubernes imperio: postque hujus vitæ militiam ex voto peractam, ÆTERNUM IN COELIS TRIUMPHES!

Dabam Scheningæ. IX. die Decembris, Anno
CIC DC LXXV.

Plutarchi.
Sympos.
lib. 7.
quest. 3.




PETRVS APIANVS ET BARTHOLO-
MÆVS AMANTIVS, EPISTOLA

AD RAIMVNDVM FVGGERV M, IN SCRIP-
TIONIBVS VETVSTIS PRÆFIXA.

Edit. Ingol-
stad. 1534.

CONsiderantibus nobis sæpe numero, & rerum omnium
magnitudinem cogitantibus, nulla major causa videri so-
let, ad tantam *Populum Romanum* nominis atque imperij gloriam
pervenisse, quam ingens quædam & incredibilis actio gratia-
rum, & beneficiorum admirabilis compensatio adversus om-
nes, à quibus cunque beneficium vel perexiguum accepisset.
Omnibus enim, qui dignitatem P.R. atque imperium tueren-
tur; qui rempublicam auerent, eamque diligenter admini-
strarent, maxima proponebantur præmia. Quippe qui insi-
gnius quicquam domi militiaeque gessisset, huic *corona*, huic
statua, huic *ovationes*, huic *triumphi*, huic *ornamenta*, huic mil-
le rerum gestarum *insignia* parabantur. Nam quid arbitramur
Romanos tot coronarum genera excogitasse, nisi ut cives suos,
qui aliqua virtutis gloria floruissent, laudum meritis prose-
querentur amplissimis, eosque ad res magnas obeundas arden-
tius excitarent? Quid dicemus tot statuas triumphales, tot
amplissima sepulchra, tot clarissimos titulos, tot imagines &
monumenta majorum? quid tot celeberrimos gloriosissimos-
que triumphos? Prudenter hæc omnia. Nullam enim vir-
tus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præ-
ter hanc laudis & gloriae; qua quidem detracta, quid est,
quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam bre-
vi, tantis nos in laboribus exerceamus?





suillus

A

cum





2005



ONVPHRII PANVINII
DE
TRIUMPHO
COMMENTARIVS.



DE Triumpho ejusque pompa scripturus, <sup>Triumph:
Etymolo-
gia.</sup> primum ab ejus verbi significatione scribendi initium sumam. Triumphi igitur Etymologiam non omnes una ratione veteres exponunt scriptores; Nam M. Varro lib v. de lingua Latina à Baccho, Triumphi inventore, tractum nomen putat, cui *Triumphantis* cognomen fuit; *militēs enim cum Imperatore victores redeuntes, per Urbem in Capitolium eunti duci, Io triumphē clamitabant*; quod nomen à $\Theta\gamma\lambda\alpha\mu\beta\text{G}$, Græca voce, *Liberi patris cognomine* derivatum est. Nam Bacchus, quum post victoriam Indicam primus triumpharet, milites ejus *ficorū folijs, quæ $\Theta\gamma\lambda\alpha$ dicuntur, vultus cooperuerunt, clamitantes Io thriambe Bacche, Io thriambe Bacche!* unde Baccho cognomen inditum $\Theta\gamma\lambda\alpha\mu\beta\text{G}$, hoc est *Triumphans*. Sic milites Romani *Io triumphē*, Græcam in Latinam vocem vertentes, dicebant. Itaque Livius lib: XLV. ait: *Milites laureati triumphum nomine cient.* Verba autem Varronis sunt hæc. *Sic triumphare appellatum, quod*

A

cum

cum Imperatore milites redeuntes clamitant, per Urbem in Capitolium eunti, lo triumphe, lo! idque à Θπλαυβω, Græco Liberi patris cognomento, potest dictum esse. Tranquillus autem ideo existimat dici triumphum, quod qui triumpharet, triplici iudicio honoraretur; Primo enim exercitus de triumpho decernendo duci iudicabat; Secundo Senatus; Tertio Populus. Alij triumphum nomen Græcum esse putant. Quod enim Θπλαυβω appellat Græci, Latini aspiratione ex prima in novissimam syllabam translata, & B. in P. mutata, Triumphum dixerunt. Erat autem Triumphus inter honores omnes, qui à S. P. Q. R. dari solebant, eximius: Pompa scilicet solemnitas illa, quam is, qui auspiciis suis hostibus prælio devictis, in Urbem cum incolumi exercitu redibat, Senatus primum decreto; post etiam jussu populi consequebatur. Triumphum autem primus omnium, post homines natos, India debellata, apud Græcos, (ut dixi) Bacchus Thebanus, Jovis & Semeles filius, instituit: qui & Liber pater dictus est, ut Solinus cap: LIII. scriptum reliquit. Quis autem apud Romanos primus triumphum egerit, parum inter scriptores convenit. Dionysius enim lib. II. Plutarchus in Romulo, & Messalla, Romulum hujus instituti auctorem fuisse scribunt. Qui etiam illud tradunt, ab alijs quibusdam L. Tarquinio Prisco Regi hoc tribui, quos Florus & Eutropius lib: I. sequuti sunt, & fortasse etiam Livius, qui nullius

Triumphus definitio.

Quis primus egerit in Græcia.

Quis Romanus.

nullius Regii triumphi meminit, nisi ejus, quem L. Tar-
 quinius Priscus, de Sabinis egit. Quam tamen contro-
 versiam dirimit in Romulo *Plutarchus*, qui *Priscum* qui-
 dem primum fuisse putat, qui curulem in urbe trium-
 phum invexerit, sed qui triumphandi morem institu-
 erit, *Romulum*. Is enim Acrone Cæninensium Rege
 interfecto, Cænina, Antemnis, & Crustumero, Sabi-
 norum oppidis captis, pedibus triumphavit, non cur-
 ru, ut *Dionysius* tradit. Quare *Plutarchus* Dionysium
 ipsum merito reprehendit, qui *Romulum* curru Urbem
 ingressum in triumpho scripserit, cum tamen minime
 Romulus, sed aut *Priscus*; aut, ut alij tradiderunt, *Po-
 plicola* Consul, primus Urbem curru triumphi causa in-
 vectus sit. Triumphorum porro duo genera fuerunt; Triumpho-
 rum duo
 genera.
 Unus major, qui præcipue *Triumphus*; alter minor, quæ
Ovatio appellata est. Ex triumphis majoribus, alij *Ter-
 restres*, alij *Navales*. Ex Terrestribus alij in *Urbe*, alij
 in monte *Albano* acti. Hi vero cujusmodi, quive primi,
 & quo anno, aut qua causa instituti fuerint, ac quid
 inter Triumphum & Ovationem interfuerit, sigilla-
 tim paulo post demonstrabo. Quum autem Triumphum
 honos omnium maximus stante Republica, omnibus-
 que communis semper fuerit; ea eversa, Imperatori-
 bus tantum dari cœpit, atque pro triumpho *Triumpho-
 lia ornamenta* ab Augusto Cæsare Populi Romani duci-
 bus, ob res bello præclare gestas, decerni cœpta sunt.

4
Triumpho
major.

Ejus ratio
diversa.

Quæ cujusmodi fuerint suo loco exponam; ante omnia autem de *Triumpho Majore*, qui præcipue *triumphus* dicebatur, differamus. Illud igitur in primis animadversione dignum, diversam triumphorum rationem fuisse. Nam re ab exiguis exorta initijs, tenues principio, exilesque triumphi fuere. Deinde paulatim, crescente Populi Romani ditio ac potestate, ingentes & opulentissimi fieri cœperunt. Ex gentium enim, & populorum devictorum conditione, vel tenuiores vel sumptuosiores fiebant. Itaque cum primis illis temporibus exigua oppida in deditioem Populi Romani venirent, debiles erant. Postea vero, cum integræ Provinciæ, & Regna à Populo Rom. subacta sunt, sumptuosissimi fieri cœperunt; quod his verbis docet *Dionysius* lib: II. *Urbe Cenina cæpta, arma tradi jussit, acceptisque pueris obsidibus, quos voluit, in Antemnates vertitur, palantesque eos, & dispersos ad prædam, inopinato superventu capit; eodemque modo de his, quo de prioribus decernens, exercitum domum reduxit, spolia etiam adducens bello capta, Dysque prædæ primitias consecrans ac multa simul faciens sacrificia. Ultimus autem ipse, post pompam ibat, purpurea veste amictus, comamque lauro coronatus, & ut dignitatem Regiam servaret, curru quadrijugo in vectus. Aliæ vero equestres, pedestresque copiæ sequebantur, egregie instructæ; Deos laudantes patrijs carminibus, ac ducem suum extemporatibus versibus extollentes. Ex urbe vero cuncti eis obviam*

obviam prodiere cum uxoribus & liberis, ex utraque via parte simul, & obvictoriam gaudentes, & omnem præseferentes comitatem. Utque Urbem inierunt, crateribus occurrunt vino plenis, mensisque omnium generum cibis refertis, expositis ipsis apud illustres familias, ut paratæ essent volentibus. Victoriosa igitur & trophæophora pompa, & immolatio, quam Romani triumphum vocant, prima à Romulo instituta, talis fuit. Ætate autem nostra sumptuosissima, & insolens, & ad ostentationem potius divitiarum, quam ad virtutis existimationem decantata; omnem prorsus formam exiit prisca tenuitatis. Post pompam autem, & sacrificium, Romulus Templum in Capitolio Iovi Feretrio extruxit, &c. Cæterum, ut Plutarchus scribit, eum, qui triumphabat Urbem ingredi pedibus, primo mos fuit, captivis præcedentibus, & exercitu subsequente: ut fecit Romulus. Mox Tullus Hostilius equo vectus de Albanis, Fidenatibus & Sabinis triumphavit. Idem fecit Ancus Martius, quum de Vejentibus & Sabinis victis triumphum duceret. Primus quadriga usus secundo triumpho suo, quem de Hetruscis egit, L. Tarquinius Priscus, vel ut alijs placet, P. Valerius Poplicola Consul. Albis equis ad currum junctis primus triumphavit de Vejentibus M. Furius Camillus Dictator. Postea passim triumphalis pompa ita aucta, ut nihil speciosius in Urbe videri posset. Ego autem, quo ab Antiquitatis studiosis, gratiam aliquam in eam, hic apponere ejus generis triumphorum, quos

obvictoria
nomen est
victoria
victoria

Triumphus
primus
pedibus.

Mox eque.

Demum
curru per-
agebatur.

obvictoria
victoria
victoria

sumptuosissimos fuisse refert *Dionysius*; descriptionem institui, quam ex *Iosepho*, *Plutarcho*, *Appiano*, *Zonara* & alijs plerisque scriptoribus excerptam, hac ratione concinnavi. Rep: benegesta, egregia victoria parta, & rebus triumpho dignis actis, Populi Rom. dux statim à militibus *Imperator* appellatus, fascēs laureatos per cursores in urbem mittebat. Quum vero ipse incolumi cum exercitu domum reversus esset, Senatus ei intra Ædē Bellonæ, extra Urbem, in Campo Martio dabatur, ubi quæ gesserat exponere, debitumque triumphum petere posset. Nemini enim triumphaturo Urbem ingredi, ante triumphum, licebat. Tum si res ab eo gesta triumpho dignæ Senatui visæ fuissent, à Senatu primo, deinde à populo, quum *Imperatoris* nomen ei confirmatum esset, ei decernebatur, ut ei triumphanti urbem inire liceret, diesque certa triumpho statuebatur. Quod si Imperator, Dictator, aut Consul, vel Prætor non fuisset, atque ob eam causam imperium intra Urbem habere non posset; (Proconsoles enim, & Proprætore intra Urbis mœnia cum imperio esse non poterant) tunc, quo triumphanti ei cum imperio Urbem ingredi liceret, lex Comitiiis Curiatis ferebatur, de imperio ejus Ducis intra Urbem per diem, vel die triumphi, habendo, (nam neque privatis triumphare licebat) qua lege lata, dieque triumpho decreto, imperator triumphali habitu amictus,

Imperato-
ris, nomen
cui obve-
nit.

Imperato-
ris, nomen
cui obve-
nit.

Imperato-
ris, nomen
cui obve-
nit.

Ejus habitus
triumphalis.

amicus, armillis sumptis, laurea redimitus, & ramum lauri dextra tenens, milites ad concionem convocabat. Ubi militibus, & publice, & privatim laudatis, pecuniam donabat, & ornamenta; ut armillas, torques, hastas puras, id est sine ferro, coronas aliis aureas, aliis argenteas, expresso in his & nomine, & hominis præclare gestis. Nam qui murum primus conscenderat, aut oppidum expugnauerat, ei corona *municipalis*, & *obsidionalis* dabatur, qui classe vicerat, corona rostrata donabatur; qui vero civem in prælio, obsidione, aliove periculo liberaverat, cum summam laudem assequeretur, tum *civica* honorabatur, *querna* corona, cujus honos omnibus argenteis, & aureis præferetur: qui vero equestri pugna vicerat, aliud ei quoddam pugnae æquestris specimen fingebatur, quo ab Imperatore donaretur. Cui rei cognoscendæ non parum auxilii afferet Epigramma L. Sicinii Dentati ex *Varrone*, *Plinio*, & *Valerio Maximo* libro III, cap. II. formatum, & in antiquis Epigrammatibus Urbis exaratum ita:

L. SICINIUS. DENTATUS. TRIB. PL.
CENTIES. VICIES. PRÆLIATUS. OCTIES.
EX. PROVOCATIONE. VICTOR. XLV. CICA-
TRICIBVS. ADVERSO. CORPORE. INSIGNIS.
NULLA. IN. TERGO. IDEM. SPOLIA. COEPIT.
XXXIV. DONATUS, HASTIS, PVRS, XIIX. PHA-
LERIS.

Munificen-
tia.Corona-
rum mili-
tarium di-
versitas.

8. *ONVPHRII PANVINI*
LERIS. XXV. TORQVIBVS. III. ET. LXX. ARMIL-
LIS. CLX. CORONIS. XXXV. CIVICIS. XIII. AV-
REIS. IIX, MVRAL. III. OBSIDIONAL. I. FISCO.
AERIS. X. CAPTIVIS. XX. IMPERATORES. IIX.
IPSIVS. MAXIME. OPERA. TRIVMPHANTES. SE-
CVTVS.

Porro autem hæc dona non viritim, sed cohorti-
bus, & legionibus integris præbebantur. Spoliorum
pars inter milites distribuebatur, his exceptis, quæ
triumpho servabantur. Fuerunt etiam Imperatores,
qui die triumphi populo Romano epulum, & congi-
arium dederint, sumptusque ad spectacula publica
edenda elargiti fuerint. Quod supererat, vel in arma-
mentarium, aut ærarium deferebatur, aut in fana, por-
ticus, janos, atria, arcus, & alia publica opera confe-
rebatur. His peractis, Imperator currum conscende-
bat, neque bellicis, neque iis similem, quorum in Cir-
censibus usus erat, sed instar turris rotundæ confe-
ctum, quemadmodum ex antiquis nummis & Titi Im-
peratoris arcu Romæ intelligi, & cognosci potest. In-
terea, dum hæc extra Urbem ab Imperatore trium-
phaturo geruntur, Populus Romanus ipso triumphi
die candidis vestibus amictus, omnibus circis, & locis
circa forum, & aliis Urbis partibus, per quas trium-
phans transiturus erat, tabularis ad hoc ex lignis com-
positis insidens, sese ad spectandum triumphum præ-
parabat,

Spoliorum
ratio.

Currus tri-
umphalis.

parabat, ita ut nemo pene ex infinita illa populi Romani
 multitudo domi remaneret: qui vero in tabularis
 confidere non poterant, ob frequentem ad spectandū
 convenientem multitudinem, vix concessio necessario
 transitu, per varia Urbis loca discurrentes, ubi spectan-
 dis tantū Imperatoribus locus sufficeret consistebant.
 Viæ Urbis & templa aperta, fertis vaporibusque sua-
 vissimis repleta erant. Ante omnia universus Senatus
 obvius ibat usque ad Urbis portam Duci triumphatu-
 ro, ibique paululum operiebatur, donec tempus
 triumphandi advenisset, omniaque triumphi insignia
 & ornamenta disponerentur. Tum multitudo mini-
 strorum baculos manibus gestantium ex medio dimo-
 vebant turbas, & vias apertas, ac sine impedimento
 plebis præstabant. Hinc pompæ initium, vel à porta
 Capena, quæ triumphis vehendis commoda erat, vel
 ab ea, qua triumphans ingressurus esset, inchoabatur.
 Primo enim universus Senatus Capitolium versus præ-
 ibat. Post Senatum Tibicines cum tubis, classicum
 resonantibus, fertisque redimiti, currus spoliis refer-
 ros præcedebant, quibus tabulæ eburneæ, & æreæ,
 colossus, signa, ligneæ turres, & captarum Urbium,
 Castellorum, montium, fluviorum, paludum, marium,
 & omnium denique, quæ capta erant simulachra, ve-
 hebantur, scripturis imaginibusque adjectis, gesto-
 rum seriem explicantibus. Deinde ferebatur aurum,

Pompa tri-
 umphi ante
 te currum.

B

argen-

argentum et æs, partim rude & grave, partim quibusdam figuris impressum. Post tabulæ & signa aurea, argentea, ærea, & eburnea videbantur. Gemmarum quoque, purpuræ, cocci, vestium byssinarum, vel auro intextarum ingens copia. Item coronæ, quas virtutis ergo urbes, aut focii, aut exercitus urbi parentes, militibus dedissent, aureæ & argenteæ, vel ex alia materia adducebantur. Sequebantur post hæc pulcherrima & ornatissima gentium victarum arma, multis curribus lata, ære, ferroque absterfo, & polito splendentia, atque ita disposita, ut casu maxime sic cecidisse viderentur. Erant autem galeæ, scuta, thoraces, ocreæ Cretenses, peltæ Thraciæ, & Celtæ, pharetræque, equorum frena, enses nudi, & gladii, sagittæ infixæ, arcusque, pila, sarissæ, & cætera ejusmodi missilia; ita ut nec victorum quidem absque metu esset aspectus. Post armorum currus, aliquot virorum millia sequebantur, qui in vasis argenteis nomismata ferebant aurea, argenteaque. Alii vero crateras, phialas aureas, calicesque ornatissimos & magnos, certo ordine ferebant. Postea alii tibicines aderant, non mite aut suave, sed bellicum præcinentes. Post hos quinquaginta, aut centum, aut plus vel minus, boves juxta triumphantis opes, cornibus auratis, infulis, & fertis ornati, ab adolescentibus popis succinctis, ad immolandum ducebantur. Postea sequebantur pueri Camilli, qui
aureas,

aureas, & argenteas pateras, sacrificii causa, deferebant. Post, si eo bello capti essent, elephantis adducebantur. Omnes autem triumphorum ministri sericis, purpureisque, & auro intertextis vestibus induti erant. Post hæc captorum Ducum, & Regum currus, arma, diademata super armis imposita vehebantur. Deinde hostium Reges seu Duces, cum filiis, fratribus, & sororibus, omnibusque, si qui essent, familiaribus veniebant lachrymantes, casumque captivitatis dolentes. Post hæc multa hostium millia manibus pone tergum revinctis deducebantur, qui ex omnibus hostium exercitibus captis pulchriores, & elegantiores, vastioreque & proceriore corpore selecti fuerant, atque ad triumphum exornandum reservati. Ferebantur etiam aureæ coronæ, quibus Imperatorem ipsum virtutis ergo Urbes in libertatem vindicatæ, seu sociæ civitates donaverant. Sequebatur deinceps dux ipse, seu populi Romani Imperator, aurato curru à quatuor albis equis vectus, toga purpurea triumphali auro intertexta amictus, in capite lauream, seu auream, lapillis gemmisque ornatam coronam gestans, dextra Laurum, sinistra vero eburneum sceptrum tenens. Imperatoris currum si Prætor, vel pro Præatore fuisset, vi. si Consul, vel pro Consule, xii. si Dictator, vel Augustus xxiv. lictores, cum fascibus & securibus laureatis, purpureis vestibus amicti, præcedebant. Cir-

Pompa cir-
ca currum,

cum currum vero citharædorum & tibicinum turba
veniebat, modulis elegantissimis concinentes: hi suc-
ctinci, coronisque aureis redimiti, suo quique ordine
psallentes, canentesque prodibant. Horum in medio
stabat quidam talari veste, fimbriis, ac armillis auro
splendentibus amictus, qui gestus varios edebat; ho-
stibusque devictis insultans, risus undique ciebat.
Postea thuris & Arabum odorum suffimenta Impera-
torem undique comitabantur. In ipso vero Impera-
toris curru, pone triumphantem, quidam publicus mi-
nister vehebatur, coronam auream, gemmis distin-
ctam, supra caput ejus tenens, qui à tergo sæpe illud
insusurrabat, quod refert *Tertullianus* in Apologetico
adversus gentes, RESPICE POST TE, HOMINEM
MEMENTO TE: memorans, ne illa felicitate elatus,
humanæ conditionis oblivisceretur, sed reliquæ vitæ
cursum prævideret, nec eo honore superbiret. Ap-
pensa quoque curru erant nola, & flagellum, quæ in-
nucebant, cum in tantas calamitates posse incidere, ut
aut flagro cæderetur, aut capitis damnaretur. Nam
qui ob facinus extremo supplicio afficiebantur, nolas
gestare solebant, ne quis inter eundem contactu illo-
rum, piaculo se obstringeret. Neque tamen Impera-
tor solus eo curru vehebatur. Sæpius enim in eodem
triumphantis curru aducebantur pueri, virginesque
puellæ, vel cognatorum filii, aut nepotes. Ad equo-
rum

rum vero habenas, hinc inde cognati juvenes, vel etiam ipsis insidentes, eos dirigebant, ut in triumpho Augusti Marcellum dextro, Tib: vero Neronem sinistro funali equo infedisse legimus. Si plures vero erant, equis singularibus victorem comitabantur. Cæterorum enim civium adequitabat nemo, sed laureati omnes sequebantur. Post currum ministri primo & scutiferi; mox legati Imperatoris, & Tribuni; deinde exercitus omnis sequebatur, in legiones, cohortes, centurias & manipulos, distinctus. Erantque milites omnes laureis fertis redimiti, laurumque manibus ferebant, coronasque, quibus virtutis ergo ab Imperatore donati fuerant. Hi currum Imperatoris triumphantis sequebantur, partim carmina patria, salibus & risu permixta, partim Ducis laudes canentes, & quum hoc ordine ita processisset pompa, omnes in Capitolium per forum Romanum ascendebant, ubi Consules & reliqui magistratus, & universus Senatus, Imperatorem triumphantem expectabant. Quum autem triumphans in forum Romanum venisset, aliquot captivorum duces in carcerem duci, occidi que jubebat, ipseque deinde in Capitolium ire pergebat. Ubi cum ventum esset, antequam sacrificium inchoaretur, mos erat antiquus tantisper opperiri, donec ipsius hostium Ducis mortem quispiam nunciaret. Quod postquam factum esse nunciatum fuisset, tunc taurorum, & alia-

ibndiq

B 3

rum

Post cur-
rum.

res spioff
 1015. 1005
 1000. 1015
 1010. 1010
 1010.

1010. 1010
 1010.

Unius tan-
tum diei
triumphus
ut pluri-
mum.

Et unius
Ducis.

rum hostiarum immolationes inchoari consuetudo erat. Quibus rite peractis, donariisque quibusdam dedicatis, quum in porticibus ibi cœnatum esset, vesperi tibiis, & fistulis antecedentibus domum redibat, quem reliqui omnes cives comitati, postea singuli ad propria divertebant. Atque hic ferme erat amplissimorum triumphorum ordo, qui vel apparatus aliquando, vel etiam tenuiores erant, prout fuerant gentis vel Regis devicti opes, & potentia. Si enim plura spolia bello acquisita fuissent, ea ordine à me relato in triumpho ducebantur. Si pauciora, eadem ratione post Senatum, ante currum victoris Ducis, deferebantur, exercitu subsequente. Porro autem uno die singulos triumphos agi mos erat. Sed quum aliquando accidisset, ut propter prædæ, spoliiorum, & gentium victarum multitudinem pompa triumphalis uno die vehi non posset, ea in biduum, vel in triduum dividebatur, ut factum est triumphis Macedonicis, T. Flaminii ex Philippo, L. Pauli ex Perse: Item Cn. Pompeii Magni ex Mithridate. Duos Imperatores uno curru triumphali vehi, quanquam una bellum aliquod confecissent; nunquam inveni: singulis triumphos decerni mos erat. Primi omnium Rom. ducum Vespasianus Augustus, & Titus Cæsar Iudaicum triumphum, uno curru vecti, una egerunt, post quos à sequentibus Imp. id aliquando usurpatum. Jus autem trium-
phandi

phandi non habebat, nisi is magistratus, cui lege Curiata
 à Populo Rom. imperium permissum erat, cujusque uni-
 us auspiciis id bellum gestum fuisset. Hi autem erant
 Rex, Dictatores, Consules, Proconsules, Prætores, &
 Proprætores, postremo Imperatores, & Cæsares. Moris
 autem erat ab Imperatore, si Consul, aut Dictator non
 esset, triumphum ducturo, Consules invitari ad cænam,
 deinde rogari, ut venire supersedeant, ne quis eo die,
 quo ille triumphaverit, majoris in eodem convivio esset
 imperii.

Cujus aus-
 piciis bel-
 lum ge-
 stum.

*Hæc ex Dionysio lib. V. in triumpho Poplicole,
 Iosepho lib: VII. cap: XXIV. de bello Iudaico,
 Valerio Maximo libro II. cap: III. de jure triumphi,
 Plutarcho in Vita Pauli Æmilii,
 Appiano Alexandrino in Lybico,
 Servio super Virgilium,*

Et Ioanne Zonara Historiarum Tomo II. excerpta collegi.

De triumphali pompa sic M. Cic. id L. Pisonem scri-
 bit: *Differis de triumpho, quid tandem sit iste currus? quid
 victi ante currum duces? quid simulachra oppidorum? quid
 aurum, quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid
 clamor militum? quid tota illa pompa? quid vebis per urbem.*
 Servius quoque libro IV. Æneidos, super illud, *Sola fuga
 nautas comitabor orantes: Qui triumphat (inquit) albis e-
 quis vebitur quatuor, & Senatu præeunte, in Capitolio de tau-
 ris sacrificat.* Porro autem, cum animadverterimus, triumph-
 phum

Non dabantur ob levia prælia.

phum omnium honorum apud Romanos maximum fuisse, verisimile est, plerosque fuisse Imperatores, qui ob levia prælia triumphos sibi decerni desiderarint. Quibus ut occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium una acie cæcidisset. Non enim numero, sed gloria triumphorum, excelsum urbis futurum decus majores existimabant. Cæterum ne tam præclara res cupiditate laureæ oblitteraretur, legis alterius adjutorio fulta est, quam L. Marius, & M. Cato Tribuni plebis tulerunt. Pœnam enim Imperatoribus minati sunt, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum, in literis Senatui ausi essent referre. Iubebaturque eos, cum primum ad urbem accessissent, apud Quæstores urbanos jurare, de utroque numero vere ab his Senatui esse scriptum. Porro triumphum decernendi Senatus munus erat, ut apud omnes veteres auctores constat, & præsertim *Pedianum* in *Corneliana*: verum & *populus Senatus consultum* sciebat. In omnibus vero bellis, victis hostibus jus triumphandi semper fuit ejus, cujus Imperium majus erat, cujusque auspiciis bellum gestum esset, etsi bello absens fuisset. Nam Prætorem, qui & ipse imperium habebat, auspiciis tamen Consularibus bellum gerentem, vicisse invenimus absente, aut etiam ægro Consule; jus tamen ob eam victoriam triumphandi Consuli potissimum adjudicatum esse: cujus rei exemplum nobis affert *Valer.*

Decernebatur à senatu & populo.

Gerabatur ab eo, cujus imperium in bello majus

Max.

Max. lib: II. cap: VIII. de jure triumphandi, de Q. Lutatio Consule, & Q. Valerio Falcone Pratore, qui bello Punico primo, quum circa Siciliam insignem Pœnorum classem delevisset, Consule Lutatio pugnae tempore in lectica claudo jacente, ejusdem tamen rei nomine Lutatio Consuli, cujus auspiciis bellum gestum fuisset, triumphum Senatus decrevit. Quem cum Valerius sibi quoque decerni desideraret, negavit id fieri oportere Lutatius, ne in honore triumphi minor potestas majori æquaretur: atque ita quum Prator vicisset, triumphavit Consul, cujus in eo bello auspicia fuissent. Cæterum inter varia triumphandi jura erat & altera lex, quæ jubebat, ut tantum pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ Populi Romani fuissent, triumphus decerneretur. Quare Q. Fulvio de Capua recepta, L. Opimio de Fregellanis ad deditionem compulsis, P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, & M. Marcello ob captas Syracusas, jus triumphandi ab amplissimo ordine, summa observandi ejus juris diligentia negatum est: omnes quidem editis operibus magnifici, sed rei petita nequam compotes. Marcelli etiam, & Scipionis repulsis alia causa adjuncta, quod ad eas res gerendas cum Imperio tantum, sine ullo missi essent magistratu. Aliud quoque in triumphis jus diu observatum est, ut, quamvis quis præclaras res, maximeque Reipublicæ utiles bello civili gessisset, Imperator tamen ab exer-

Decerne-
batur pro
aucto tan-
tum Imper-
rio.

C

citu

Non pro
victoria
bello civili
seportata,

citu eo nomine appellatus non est, neque ullæ supplicationes ei à Senatu decretæ sunt, neque aut ovans, aut curru triumphavit, quia ut necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, utpote non externo, sed domestico partæ cruore. Itaque & Nafica Ti. Gracchum, & Opimius C. Gracchi factionem mœsti trucidarunt. Neque Q. Catulus de M. Lepido collega, cum omnibus copiis seditiosis extincto, aut C. Antonius de L. Catilina cæso, vel L. Sulla, qui plurima bella civilia confecit, de C. Mario, L. Cinna, C. Carbone, & L. Norbano, ulla ratione triumphare voluerunt. Sulla quoque, cum consummata ac constructa potentia sua triumphum duceret, ut Græciæ, & Asiæ multas urbes, ita civium Romanorum oppidum nullum vexit. Cujus rei etiam lauream Senatus nulli unquam dedit, nec quisquam sibi dari desideravit, civitatis parte lachrymante. Hunc morem plerosque Romanos Imperatores Augustos observasse, memoriæ proditum est. Neque enim C. Cæsar Dictator de Cn. Pompejo ex prælio Pharsalico, Octavius & Antonius de Bruto & Cassio, Augustus ipse de M. Antonio, Vitellius de Othone, de Vitellio Vespasianus, de Avidio Cassio Marcus, aut denique Severus de Pescennio Nigro, vel Clodio Albino, Imperatoribus contra se creatis, triumphare voluerunt. Vetus etiam consuetudo erat, ut quum populi Romani ducem res prospere

gessisse

gessisse Romæ nuntiatum esset, statim ei à Senatu in aliquot dies ad omnia templa publicæ supplicationes fierent, quas C. Cæfari, bello Gallico occupato, frequenter decretas fuisse, in ejus Commentariis legimus. Atque hæc fere sunt, quæ de triumpho majore, sive curuli, apud veteres scriptores extare didicerim.

(Triumphus
prærogati-
va, suppli-
catio.

DE TRIUMPHO NAVALI.

Triumphorum autem (ut dixi) alii terrestres, alii *navales* erant; alii Romæ, alii in monte Albano acti. Ad triumphos autem terrestres, & Romæ actos, quæ supra satis abunde diximus, pertinent. Cujus primus apud Romanos institutor fuit Romulus. *Triumphum vero navalem, qui concedebatur Imperatori, qui classem hostium superasset, de Pœnis primus apud Rom. egit Anno Urbis CDXCIV. C. Duilius consul. Cujus rei ita meminisse Florus ex Livio, in Epitome lib: XVII. C. Duilius Consul adversus classem Pœnorum prospere pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriæ duxit triumphum. Ob quam causam ei perpetuus quoque honos habitus est, ut revertenti à cæna, tibicine canente, funale præferretur. Hanc rem ita tradit Polybius: Cn. Cornelius Consul classi præfectus, omnibus navibus, ubi perfectæ essent, ad fretum venire jussis, ipse cum XVII. Messanam contendit. Inde quum paratis necessariis rebus, quadam oblata spe, aliquanto celerius, quam necesse erat, Liparas cum XVII. navibus concessisset, ibi ab Hannibale Pœnorum Duce conclusus, & captus est.*

Triumphus
navalem
quis pri-
mus egerit

in
origi-
ne

nibal cum classem Romanorum speculandam iret, atque impro-
 viso in eam instructam incidisset, magna suarum navium
 parte amissa, ipse vix vivus fugit. His rebus auditis C.
 Duilius pedestribus, quibus praerat, copijs tribunis mili-
 tum traditis, ad classem se contulit, ac Pœnos, navali præ-
 lio congressus, devicit. Hannibal vix Carthaginem incolu-
 mis rediit. Et Florus lib: II. cap: I. Duilius victor ad
 Liparas, mersa & fugata hostium classe, primum illum
 maritimum egit triumphum, cujus quod gaudium fuit?
 Quum Duilius Imperator, non contentus unius diei tri-
 umpho, per vitam omnem, ubi à cœna rediret, præluere
 funalia, & præcinere sibi tibias iussit, quasi quotidie tri-
 ampharet. Itaque apud Ciceronem Cato ita loqui-
 tur; C. Duilium M. F. qui Pœnos primus classe device-
 rat, redeuntem à cœna senem saepe vidi puer. Delectabatur
 crebro funali, & tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus
 sumferat. Tantam licentiam dabat gloria. Eadem Eutro-
 pius lib: II. Orosius lib: IV. cap: VII. Valerius Maxi-
 mus lib: III. cap: VI. Plinius lib: XXXIV. cap: V. Cor-
 nelius Tacitus lib: II. Auctor de viris illustribus, & Fron-
 tinus Stratag: lib. XV. cap: VI. Duilio autem ob na-
 valem hanc victoriam Statua cum columna rostrata in
 Foro Romano decreta fuit, cujus meminit Plinius
 lib. XXXIII. cap: I. & Quintilianus lib: I. cap. de Or-
 tographia. Ejus autem basi inscriptio, antiqua illa
 scribendi ratione, incisa erat, quam superioribus an-
 nis:

Columna
 Duilij ro-
 strata.

nis in Capitolinis Urbis ruinis repertam, quantum
 licuit, ex autoritate veterum scriptorum, ab *Antonio*
Augustino Ilrdeasi Episcopo, *Carolo Sigonio*, &
Fulvio Ursino suppletam, nos hic imprimendam cu-
 ravimus. Triumphos navales celeberrimos inter
 ceteros post *C. Duilium* egerunt *Q. Lutatius*, qui &
 ipse *Pœnicam*, & *Cn. Octavius*, qui *Macedonicam*,
 classes superarunt. Quos in omnibus terrestribus
 triumphis similes fuisse existimo, nisi quod victoris
 Ducis currum præcederent navium, & triremium
 victarum simulachra; item currus, rostris navium,
 harpagonibus, remis, & ceteris maritimis instru-
 mentis, eo bello captis, onusti. In reliquis vero
 cum triumpho terrestri conveniebat.

Triumphus
 navales
 post Duilium actis.

DE TRIUMPHIS EXTRA URBEM, VEL PRÆ-
 TER VETEREM CONSVETVDINEM ACTIS.

DE triumphis autem in monte *Albano* actis, & ejus
 instituti causa, hæc quæ dicam, habeo. *Vale-*
rius lib. III. cap. VI. *Papirius Maso*, cum bene gesta
Republica triumphum à *Senatu* non impetrasset, in *Albano*
 monte triumphandi, & ipse initium fecit, & ceteris postea
 exemplum præbuit: proque laurea corona, quum alicui spe-
 ctaculo interesset, myrtea usus est. In Capitolinis quo-
 que Triumphorum Tabulis ita notatum est. C. PA-
 BIRIUS. C. F. L. N. MASO. COS. AN. DXXII.

Masonis
 triumphus
 in monte
 Albano.

DE. CORSEIS. PRIMUS. IN. MONTE. ALBANO.

III. NONAS. MART. Et *Plinius* libro xv. cap: xxix.

L. Piso tradit, *Papirium Mafonem*, qui primus in monte Albano triumphavit de *Corseis*, myrto coronatum, *Ludos Circenses* spectare solitum. Avus maternus inferioris *Africani* fuit.

Sext. Pompejus: *Papirius* (inquit) myrtea corona usus est, quod *Corfos* in campis myrteis superasset. Exemplum *Papirii* secutus est *M. Marcellus*, qui victis *Syracusanis*,

Item Marcelli.

quum triumphum ei *Senatus* negasset, & ipse postea in monte Albano triumphavit. Distat vero hic mons ab

Antonii in Egypto.

Urbe millibus passuum xii. *M.* vero *Antonius* iii. Vir

R. P. C. *Artabaxe Armeniorum* rege proditione potius

& dolo, quam aperta vi, superato, in *Cleopatrae* gra-

riam *Alexandriam*, catenis aureis vinctum, in triumphum duxit, solusque omnium *Romanorum* ducum

fuit, qui extra *Italiam*, ante urbem *Constantinopolim*

conditam, triumphavit. Quæ res *Populum Romanum*

mœstitia affecisse tradita est, quum optima, & præci-

pua patriæ suæ ornamenta, scorti *Cleopatrae* gratia,

Aegyptiis quoque impartiri, ab *Imp. Romano* vide-

Itopp. Constantino-

poli.

rent. Cæterum Urbe *Constantinopoli* à *Magno Constantino* Imperatore condita, aliquando in ea ab Imperatoribus *Romanis* triumphatum fuisse legitur; ut paulo

post demonstrabo. *Aurum* autem, *argentum*, & *æs*,

& cætera spolia de hostibus capta, atque in triumpho

adducta, *Senatus*, *Populique Romani* erant, eaque in

publi-

Aurum & æs relearum cujus fuerit,

publicum ærarium reponerentur; extractis tamen prius expensis, quæ in triumphi pompa fiebant. *Publicis enim sumptibus triumphari mos erat.* Primus autem *privatis sumptibus triumphavit Ap: Claudius Pulcher de Salassis ex Alpibus anno Urbis DCX.* Quum enim vel tot millia hostium non occidisset, quot ad justum triumphum agendum necesse essent, vel propter victæ gentis inopiam parum auri, vel argenti, aut æris in ærarium detulisset, ob idque ei à Senatu triumphi impensæ negatæ fuissent, privatis sumptibus triumphavit; honoris magis quam divitiarum habita ratione. Quum autem (ut dixi) de triumpho agendo, primo Senatus, deinde Populus decerneret; sæpe usu venit, ut aliquot Imperatores, apud alterutram civitatis partem minus gratiosi, vel tantum jussu Populi, injussu vero Senatus; aut ex S. C. sine Populi jussu, triumpharent. Primus *P. Servilius Priscus* Consul, anno Urbis CCLVIII, de Volscis sine S. C. triumphavit, ut tradit *Dionysius*. Primi quoque omnium, non solum sine S. C. sed invitis Patribus, Populi tantum jussu, triumpharunt Consules *L. Valerius Potitus* de Æqueis, & *M. Horatius Barbatus* de Sabinis, anno Urbis CCCIII. Et è converso Virgo Vestalis *Claudia*, fratrem, injussu Populi triumphantem, ascenso simul curru, usque in Capitolium profecuta est, ne vetare aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset. Ita *Tranquillus* in Tiberio

Publico
sumtu tri-
umphabāt.

Nunc jussu
Senatus,
nunc po-
puli.

berio cap: 11. Sed pauca admodum ejusmodi, exempla reperiuntur. Atque haec de Triumphis majoribus; nunc de *Ovatione* sive *Triumpho minori* differamus.

DE OVATIONE.

Ovatio
quid, &
unde di-
cta.

OVationem, quam *Dionysius* lib. v. & *Plutarchus* in *Marcello*, *minoris triumphis* genus esse, memoriae prodiderunt, ab *Ove* dictam putat *Plutarchus*, quam, qui hoc triumphis genere ornabantur, sacrificabant, quemadmodum, qui majorem triumphum agebant, taurum, in *Capitolium* venientes, immolabant. *Plutarchi* sententiam sequutus est *Servius Grammaticus*, in lib: iv. *Aeneidos*, super illud: *Sola fuga nautas comitabor ovantes*: Ubi ita ait: *Qui ovationem meretur, uno equo utitur, & a plebeis vel equitibus Romanis deducitur in Capitolium, & de ovibus sacrificat; unde & ovatio dicta. Qui autem triumphat, albis equis utitur quatuor, & Senatu praeeunte, in Capitolio de tauris sacrificat. Sextus autem Pompejus, Ovantes* (inquit) *latantes dicuntur ab eo clamore, quem faciunt redeuntes a pugna victores milites; geminata O littera. Quod idem etiam Dionysio placet, qui ait, quasi vero Romani εὐασμὸν Græcorum vocem, quæ clamorem significat, ovationis nomine voluerint interpretari. Erat autem ovatio minor (ut dixi) triumphus, qui agebatur, quum belli duces, rebus quidem prospere gestis, non tamen ita magnis, ut justo triumpho dignæ*

Ovatio
quando lo-
cum habet
bucrit

dignæ essent. Nam ex S. C. ovantes pedibus primum, deinde non curru, sed uno equo vecti, Urbem ingredi solebant. Differt autem Ovatio à triumpho ^{Quomodo differat à Triumpho.} (ut ait Dionysius lib: v.) quod qui ovans ingreditur, is nec curru vectus, nec sceptrum in manu tenens, nec trabeam, vel togam pictam aut aurei clavi vestem, (qui peculiaris Consulum amictus) indutus, pedibus urbem, exercitu præeunte, iniret. *Plutarchus* autem eundem nec quadrigis in vectum, nec laurea coronatum, nec tubis concinentibus, sed pedibus & calceis, myrtea redimitum, tibiis modulantibus, Urbem inisse tradit. Myrtea autem eos potius esse usos, quam (ut ait *Dionysius*) laurea, *Plutarcho* assentior, quod idem etiam traditum sit à *Plinio*, *Sexto Pompejo*, & *Gellio*. *Plinius* enim lib: xv. cap: xxix. *Triumphavit* (inquit) *de Sabinis Postumius Tubertus in Consulatu, qui primus omnium ovans, quod sine cruore remgesisset, myrto Veneris rictricis coronatus urbem ingressus est.* Hæc postea ovantium fuit corona, excepto *M. Crasso*, qui de fugitivis, & *Spartaco* laurea coronatus incesit. Et *Sext. Pompejus*: *Ovalis corona est Myrtea, quam habebant, qui ovantes introibant, quum bella non essent indicta, aut sine sanguine confecta.* Idem & *Gellius* refert. Hoc autem triumphus genus primum anno CCLI. P. Postumio ^{Quando coepit.} Tuberto II. & *Agrippa Menenio* Coss. institutum fuisse, ex *Lucinii Annalibus* docet *Dionysius* lib. v.

D

Cur

Cur autem hoc factum fuerit, non eandem causam *Dionysius* & *Plinius* afferunt. Hic enim, quia *Postumius* leviter, & sine cruore rem gesserat, ille ex prælio ante infelicissime facto: in quo plurimis ex suis amissis, parum abfuit, quin ipse cum cæteris in fuga caperetur. Pedibus autem, an equo vecti ovantes ingrederentur, magna quæstio esse videtur, de qua sic etiam scribit *Gellius* lib: v. cap: vi. Prætereundum non est, quod ad ovationem attinet, super quo dissentire veteres auctores scio, partim enim scripserunt, qui ovarer introire solitum equo vehente. Et *Sabinus Masurius* pedibus ingredi ovantes dicit, sequentibus eos non militibus, sed universo Senatu. Ita etiam *Dionysius* pedibus ingressos, *Livius*, & *Dio*, equo vectos intelligunt. Equidem ovantem ingredi, equo vehi *Dio* appellat, quum de Cæsare Dictatore, Antonio, Augusto, Druso, & Nerone loquitur. *Dionysius* vero pedestrem triumphum Ovationem vocat, dum de A. Manlio, anno CCXXC. ovante, disserit. Quam ego controversiam sic dirimi posse existimo, initio quidem ovantes pedibus, postea vero equo vectos, Urbem ingredi consuevisse. Ovandi autem, & non triumphandi has causas lib: v. cap: vi. affert *Gellius*: Quum aut bella non rite indicta, neque cum justo hoste gesta sunt, aut quum hostium nomen humile, aut non idoneum est, ut servorum, piratarumque; aut deditione repente facta

Ovandi
quæ fue-
runt causa.

facta, sine pulvere, (ut dici solet) incruentaque victoria obvenit. Cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, sed quasi Veneris triumphus quidam foret. Hanc myrteam coronam *M. Crassus* bello fugitivorum confecto, quum ovans rediret, insolenter aspernatus est, Senatusque Consultum faciendum per gratiam curavit; ut lauro, non myrto, coronaretur. Adjicit *Plutarchus*, cum verbis, & comitate res cum hostibus transacta, & bene gesta esset, tum ut ovantes inirent, fuisse permissum. His adde, aut ob inducias factas, aut quum in aliena Provincia, aut alienis auspiciis, aut quum sine magistratu res gesta esset, ut de *A. Manlio* apud *Dionysium* anno ccxxc. de *C. Nerone* apud *Livium*; de *Valerio Falcone*, apud *Verrium Flaccum*, & de *M. Marcello*, apud *Valerium & Livium*, factum refertur. Illud etiam animadversione dignum est, quod *Massurius Sabinus* apud *Plinium* lib: xv. cap: xxix. scriptum reliquit, eos qui curru triumphabant, aliquando myrtea corona usos fuisse. *M.* etiam *Valerius Volusus*, vir triumphalis, duabus coronis utebatur, laurea & myrtea. Hæc autem sunt, quæ de Ovatione hinc inde collecta, in unum congregavi, cujus usus potissimum Romæ usque ad *Neronis Imp.* tempora mansit. Haud enim facile, si ab uno aut altero recesseris, ullum post *Neronem* inveneris, qui urbem ovans inierit.

Corona
myrtea
ovantium
propria,

Trium-
phus no-
vissimus
quisnam.

Quot Tri-
umphus fu-
erint acti.

Trium-
phus He-
raclii.

Triumphus autem majoris usum, usque ad Iustini-
niani tempora permansisse, satis liquet. No-
vissimus enim omnium, quod sciam, Iustiniani Imp.
auctoritate triumphavit Fl. *Belisarius* V. C. Africa re-
cepta, de Vandilis, & eorum Rege Gilimere, more
veteri, curru quadrijugo, in Urbem Constantino-
polim vectus. Post quem neminem amplius de more
prisco triumphasse inveni, quum post ea tempora
Imperium Romanum non solum ullum incremen-
tum habuerit, sed in præceptum pronum, ab Arabibus,
& Sarracenis, Hunnis, Bulgaris, & Longobardis, po-
stremo laceratum sit, & eversum. Trecentos porro,
& circiter quinquaginta triumphos, & ovationes à Ro-
muli temporibus, usque ad *Iustiniani Augusti* tempora,
actos fuisse, varia, longa, & difficili observatione in-
veni. Quum enim cccxx. actos fuisse triumphos, à
Romulo usque ad *Vespasianum*, referat *Orosius*, ego
circiter xxx. alios triumphos, à *Vespasiani* Imperio,
subsequentibus Imperatoribus, usque ad *Belisarium*
deprehendi, fere omnes à Romanis principibus ge-
stos. Quidam referunt *Heraclium* Imperatorem, post
devictos, & ad internicionem fere cæsos Persas,
ipforumque rege *Chosdroe* occiso, quum ingrede-
retur Hierosolymam, sanctissimæ crucis parte recu-
perata, triumphasse; quod mihi magis triumph
umbra

umbra videtur, quam justus triumphus. Nam nec curru vectus, nec cum insignibus triumphalibus processit, sed tantum victoria potitus, antiqui triumphum umbram quandam ostendit. Cæterum de cccxx. triumphis, à Romuli tempore, ad Vespasiani Augusti Imperium actis, his verbis *Orosius* lib. vii. mentionem facit. Ubi autem *Vespasianus & Titus Impp. magnificam agentes de Iudeis triumphum, Urbem ingressi sunt, pulchrum, & ignotum ante cunctis mortalibus inter cccxx. triumphos, qui à condita Vrbe, usque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit, patrem & filiū uno triumphali curru vectos, gloriosissimam de his, qui patrem & filium offenderant, victoriā reportasse.* Triumphus vero honor Romæ usque ad Augusti Imperium frequentissimus fuit, sub quo etiam cum multi sunt Duces adepti. Nam plus quam xxx. Ducibus, nisi in verbo error sit, (ut inquit *Tranquillus*) justos triumphos decernendos curavit. Post Augusti tempora, Romanis jam toto fere terrarum orbe victoribus, raro admodum Romæ triumphatum est. Quum enim terra marique pace parta, undique jam bella cessassent, & omnes fere orbis terrarum nationes & gentes, vel Imperio Romano parerent, vel foedere conjunctæ essent, pauca admodum triumphorum materiæ reliquæ fuerunt. Siquidem, intra DC. annorum intervallum, quod inter Augustum, & Justinianum fuit, vix quin-

Triumphus cur
raro actus
post Augusti tem-
pora.

quaginta triumphus acti sunt: quum præcedentibus temporibus, intra annos paulo plus DCC. trecentos fere triumphos, Duces populi Romani adeptos fuisse constet. Quod si aliqua bella oriri contigisset, ut Parthica, Germanica, Persica (hæ enim præcipuè gentes Romano Imperio infestiores erant) ea ab Imperatoribus administrabantur, qui aliquando duo, & tres, pari præditi potestate erant, eorumque auspiciis à privatis Ducibus, vel eorundem Legatis gerebantur: quare soli Imperatores de victis gentibus triumphabant. Quod si aliquando usu venisset, Romanos principes, pluribus difficillimisque bellis insurgentibus, privatos Duces ad ea suis auspiciis gerenda mittere, eis post adeptam victoriam non amplius triumphum debitum concedebant, quorum pompam sibi ipsis retinere cœperunt; sed triumphus loco, quem in Republica libera omnino meruissent, *triumphalibus ornamentis*, novo & tenuiore honoris genere, ab Augusto excogitato, eos honorabant. Porro autem sub Augusto Cæsare, triumphalium ornamentorum usus pro triumpho, hac ratione primum, ut lib. LV. tradit *Dio*, inventus est.

DE TRIUMPHALIBVS ORNAMENTIS.

ANno Urbis conditæ DCCXL. Cn. Lentulo & M. Crasso Consulibus, Bosphoranos, qui Asandro mortuo, à Scribonio quodam sollicitati fuerant, subactos

actos ab Agrippa tradit Dio: eidemque propterea supplicationes Romæ esse, atque triumphum decretum, quem tamen ab ipso non esse actum, quia de rebus gestis nihil ad Senatum scripserat. Ex quo tempore (inquit) reliqui, exemplum ejus quasi legem quandam secuti, nec publice literas miserunt, neque triumphum obtinuerunt: ac propterea nemini alii pari dignitate triumphus in posterum, sed triumphalia tantum ornamenta decreta sunt.

Ita Dio. Agrippam autem honorum nimia satietate affectum, triumphum recusasse crediderim; cujus postea exemplum, quum alii secuti essent, rem casu ortam, Imperatores sequentes pro lege usurparunt, triumphique decus, quod omnium maximum erat, sibi ipsis retinuerunt. Quum enim Reip. Principes & domini essent, tanto honore solos se dignos existimabant, idque fortassis priscorum Regum Romanorum more, sub quibus neminem, præter Reges, triumphasse animadvertimus; Ut enim Imperio & dignitate cæteros Senatores anteibant, ita quoque triumphandi jure, honore omnium maximo illis interdicto, præstare inter alios voluerunt. Duces quoque, qui Cæsarum tempore fuerunt, invidiam maximi honoris vitaturi, rebus egregie gestis, triumphum mentione omissa, triumphalibus ornamentis contenti erant. Hæc autem fuerunt: *Supplicationes decretae, Appellatio Imperatoris, Laurea, corona, Prætexta sive Trabea triumphalis, Sceptrum, Statua,*

Cur Triumphum fu-
erint inter-
missi.

Triumphalia orna-
menta
quæ fu-
erint.

Quando
usurpari
desierint.

32

ONVPHRII PANVINII

tua Sacrificia, & cætera triumphantium insignia: curru
tamen intra urbem non vehebantur, neque consue-
tam pompam agebant. Qui honor usque ad Constan-
tini Imp. tempora permansit. Post quæ cum trium-
pho paulatim obliterari cœpit. Cæterum ego, quem-
admodum de triumphis feci, ita & in his, qui orna-
mentis triumphalibus ornati essent, digere laboravi. Quos tamen non, nisi usque ad *Do-*
mitiani Imperatoris tempora, invenire potui. Reliqui
enim deinceps obscuro sunt & incogniti; & libro-
rum auxilio destitutus, qui fuerint, ne suspicari qui-
dem potuerim. Hæc autem sunt, quæ de ornamen-
tis triumphalibus, eorum causis & initiis, invenire
dotuerim.

DE SPOLIIS OPIMIS, QUÆ A TRIVM-
PHANTIBVS RELATA, ET SVSPENSA SVNT.

Finitimarum Urbi gentium animis, ob raptarum
virginum injuriam irritatis, *Cæninenses* primi, non
expectato cæterorum populorum subsidio, cum eo-
rum rege Acrone, in agrum Romanum impetum fe-
cere. Quibus effuse vastantibus, obvius factus cum
exercitu Romulus, levi certamine eorum exercitum
fudit fugavitque; fusum persecutus, Regem eorum
Acronem, in prælio obruncatum, spoliavit. Duce
hostium occiso, Urbem primo impetu cepit, inde
exerc.

exercitu victore reducto in urbem, ea ratione, de qua supra dixi. Reversus, primus Romæ, Liberi patris exemplo, victore reducto exercitu, triumphum, seu potius triumphum umbram, Romanis ostendit. Hicque primus Romæ triumphus actus est. Quicum triumphans in urbem reverteretur, spolia occisi hostium ducis Acronis suspensa, fabricato ad id apto ferculo gerens, in Capitolium ascendit, ibique ea quum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designavit templo Jovis fines, cognomenque addidit Deo: *Iupiter Feretri*, inquit, *hec tibi victor Romulus Rex regia arma fero, templumque in regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico, sedem opimis spoliis, que regibus, ducibusque hostium cæsis, me auctore, sequentes posteris ferent.* Hæc autem templi est origo, quod primum omnium Romæ sacratum est. Ita deinde Diis visum est, nec irritam conditoris templi vocem esse, qua laturos eò spolia posteros nuncupavit: nec multitudine compertum ejus doni vulgari laudem. Bina postea inter tot annos, tot bella, opima parta sunt spolia; adeo rara ejus fortuna decoris fuit. Ita lib. I. Livius. Eadem referunt Dionysius lib. II. Messala lib. I. Valerius Max. lib. III. c. II. Plutarchus in Romulo: L. Florus lib. I. Auctor libri de viris illustri-

Quis primus reculerit.

E

lustr-

Quid fuerint spolia opima.

lustribus. *Eusebius* in *Chronico*, & *Orosius*. *Cæterum* de spoliis opimis à *Romulo*, *Acrono* *Ceninensium* rege occiso relatis, ideo hoc loco scripsi, quod in *Capitolinis* triumphis animadverterim, tertiorum spoliorum, quæ *M. Marcellus* anno *DXXX.* retulit, mentionem fieri, de quibus hæc tradita fuisse à veteribus, scriptum inveni. Spolia opima, id est, ampla & magnifica, ea erant, quæ *Dux* *populi Romani* hostium duci detraxit, quorum auspiciis bellum utrinque gereretur. Dicta, ut *Varro* lib. *iii.* de *Lingua Latina* tradit, ab ope, vel ut *Plutarch.* in *Romulo* scriptum reliquit, ab opere rei gestæ, quum sit opus egregium & clarissimum, ducem belli parem sibi ductorem, singulari certamine superare. *Varronis* sententiam *Sex. Pompeius* secutus videtur; qui ita scribit. *Opima spolia dicuntur, originem quidem trahentia ab Ope, Saturni uxore, quod ipse Saturnus agrorum cultor habetur, nominatus à satu, tenensque falcem effingitur, quæ est insigne agricolæ. Itaque illa quoque cognominatur Consiva, & esse existimatur terra. Ideoque in Regia colitur à Populo Romano, quia omnes opes humano generi natura tribuat. Ergo, & opulenti dicuntur terrestribus rebus copiosi; & hostiæ opimæ, præcipuæ, pingues; & opima, magnifica & ampla. Unde spolia quoque, quæ dux Populi Romani duci*

duci hostium detraxit, opima dicuntur. Quorum tanta
 raritas est, ut intra annos paulo minus DXXX. tantum
 trina contigerint nomini Romano: Una, quæ dux Ro-
 mulus de Acrone; altera, quæ Cossus Cornelius de To-
 lumnio; Tertia, quæ M. Marcellus de Virдумaro fixe-
 runt. M. Varro ait; opima spolia esse etiam, si mani-
 pularis miles detraxerit, dummodo duci hostium de-
 traxerit. Quod autem omnia non solita sint ad eadem
 Iovis Feretrii poni, testimonio esse libros Pontificum,
 in quibus sit: Pro primis spoliis bove, pro secundis suove-
 taurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere. Esse
 etiam Pompilii Regis legem opimorum spoliiorum talem:
 Cujus auspicio classe procincta opima spolia capiuntur,
 Iovi Feretrio dari oporteat, & bovem cedito, qui ce-
 pit æris CC. Secunda spolia in Martis aram in campo,
 suovetaurilia, utra voluerit, cedito. Tertia spolia,
 Iano Quirino agnum mærem cedito, C. qui ceperit, ex
 ære dato. Cujus auspiciis capta, Diis piaculum dato.
 Ita Sex. Pompejus. Quod vero apud Sextum Var-
 ro scribit, ea opima spolia etiam esse, quæ mani-
 pularis miles detraxit, dummodo hostium duci de-
 traxerit, id nequaquam observatum fuisse vide-
 tur. Nam P. Scipio Æmilianus in Hispania, & M.
 Licinius Crassus sub Augusto in Thracia duces
 VI E 2 hosti-

hostium interfecerunt, sed, quia alienis auspiciis militabant, spolia opima non retulerunt. *Servius* postremo, exponens illum *Virgilio* versum: *Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.* Prima *Jovi*, Secunda *Marti*, Tertia *Quirino* dicata fuisse, ex lege *Numæ Pompilii* scribit: Idem in *Marcello* docet *Plutarchus*.

F I N I S.



IN





IN ONVPHRII PANVINII

DE

TRIVMPHO

COMMENTARIUM

JOACHIMI JOHANNIS MADERI

NOTÆ.



NVPHRIVS PANVINIVS Augusti-
nianus Eremita, patria *Veronensis*, jamdu-
dum orbem terrarum adeo implevit no-
minis sui fama, ut actum agere vi-
deri queat, qui de novo ejus in se præco-
nium suscipere velit. Etenim istum vocibus suis tan-
tum non ad sidera evexere laudatissimi & ipsi, præcel-
lentesque in omni doctrina viri, quibus nunc *Hellno*
Antiquitatis, nunc *Historiarum pater*, nunc *magnus An-*
tiquitatis assertor, jure meritoque audit, & qui ad omnes
& *Romanas & Ecclesiasticas Antiquitates eruendas plane*
videatur natus. Et quidem ad illud eruditionis fasti-
gium memoratur pervenisse assidua consuetudine,
quam cum Illustribus Viris, *Antonio cum primis Augu-*
stino, Archiepiscopo postea *Tarraconensi*, ac *Fulvio*
Vrsino, Antiquitatum æque indagatoribus solertissi-
mis, feliciter junxerat; quod eruditi semper aliquid do-
ctrinæ suæ frequentantibus, ut aromata odorem, ad-

E 3

fricare

Vid. ejus
Auctar. de
Scriptor.
Eccles. cap
57. Et scri-
ptores Sec.
xvi, pag. 81.

Histor. lib.
43.

lib. 5. de E-
mendat.
temp.

Pag. I. v. r.

fricare ament: usus insuper laudati Archiepiscopi
Bibliotheca instructissima, cujus libris commodato ac-
ceptis (ut alienos avidius devoramus) sic utebatur, ni-
hil ut legeret, quod non, Plinii senioris exemplo, ex-
cerperet: ceu ex ore ipsius Augustini, heri tunc sui, Cl.
Vir *Andreas Schottus*, atque ab hoc se accepisse faretur
Aubertus Miræus. Hinc adeo quinque supra sexaginta,
ut *Bruschus* refert, composuit volumina, ex quibus plu-
ra typis tum *Italicis*, tum *Germanicis*, incredibili omnium
commendatione, sunt excusa: quorum, ut etiam non im-
pressorum, Catalogum editioni librorum de Ludis
Circensibus Patavinæ præfixit *Paulus Frambottus*; suæ
vero *Anastasi Augustiniane* inseruit *Thomas Gratianus*, &
Elogiis Augustinianis Cornelius Curtius. Florebat tunc in
Pontificia patru sui aula *Alexander Cardinalis Farne-
sius*, magnus ingeniorum æstimator. Hunc cum, ut
præcipuum patronum suum, in *Siciliam* profequere-
tur, alieno, ut maximus *Thuanus* scribit, & sibi, & publi-
cæ utilitati, tempore, anno Domini MDLXVIII. anno æta-
tis xxxix. nondum inchoata, *Panormi* morte immatura
est sublatus: omnibus *Historiæ* numeris in ejus obitu, vel
summo *Scaligero* teste, collacrymantibus.

DE TRIVMPHO) *Onuphrj* hæc de *Triumpho* dissertatio pars
est *Commentarii* Ejusdem in lib. V. *Fastorum*, ubi etiam legitur,
à pag. 338. edit. *Heidelbergensis* ad pag. 346. annexos insuper ha-
bens *Triumphos & Ovationes omnes à Romulo rege, usque ad Iustini-*

ANUPT

anum Augustum; ut & Populi Romani Duces, qui ob res bello præclare gestas triumphalia Ornamenta sunt consecuti. Separatim vero prodiit primum *Venezus*, anno superioris seculi LXXI. in folio regali, ut vocant, cum figuris æneis: & hoc nostro seculo adjecta *Patavij Illius Ludus Circensibus* est, à *Paulo Frambosto* anno XLII.

EIVS QVE POMPA SCRIPTVRVS) Scripsere de *Triumpho* jam ante Onuphrium Viri de Antiquitate optime meriti, *Flavius Blondus*, Romæ Triumphantis libro X. *Pomponius Lætus* Histor. Romanæ lib. II. *Alexander ab Alexandro* (quem postea notis illustrandum suscepere *Andreas Tiraquellus* & *Christophorus Colerus*) Genialium Dierum lib. I. cap. XXII. & lib. VI. cap. VI. *Polydorus Virgilius* de Rerum Inventoribus lib. II. cap. XVI. Et ipsa illa Onuphrij ætate, ac post: *Carolus Sigonius* lib. II. de Antiquo jure Provinciarum, cap. X. *Guido Pancirollus*, & *Henricus Salmuth* Commentar. in eundem, parte I. Memorabil. tit. LVII. *Johannes Fungerus* in Etymologico Trilingui, sub *Triumpho* voce; *Johannes Rosinus*, & qui in eum erudite commentatus est, *Thomas Demsterus*, lib. X. Antiq. Rom. cap. XXIX. *Julius Cesar Bulengerus* peculiari libro de *spoliis, Tropæis, Arcubus, & Pompa Triumphali*, Paris. edito, 1601. *Johan Baptista Casalius*, libro de Urbis & Imperij splendore, parte II. pag. 173. & seqq. *Christoph. Adamus Rupertus*, Dissert. II. ad cap. VIII. lib. 2. *Valerii Max.* Tum ab hisce citati *Bartholomæus, Marlianus, Robertus Valturius*, alique: Et qui ex memoratis, solus, quod sciam, superest, ac diu superesse sospes valenque velit, *Academix quondam Salanæ, jam Altenburgensis Ecclesiæ Doctor, & Superintendens Generalis meritissimus, Johan. Christfriedus Sagittarius*, Dissertatione elegante de *Triumpho*, in *Oratio* ipsius *Ienensi* nunc exhibita, à pag. 400. ad 422. Quos quidem hic indicare volumus, si qui forte sint, qui pleniorẽ Triumpho descriptionem deside.

desiderent. Non enim omnia, sed potiora tantum, quæ in hoc Commentario occurrunt, delibabimus, in plerisque monstrasse contenti, à quibus singula uberius possint peti. Quamquam nec à supra laudatis Excellentibus Viris pari ratione hæc materia sit pertractata, sed ab alijs exactius, ab alijs compendiosius; prout cuiusque scopus vel institutum fuit.

v. 3.

TRIVMPHI ETYMOLOGIAM NON OMNES) Videri præter jam dictos, de hoc *ετυμολόγων* dissensu possunt *Suidas* & *Etymologicæ Magni* Autor, in voce *θρίαμβος*; *Christianus Beckmannus*, in Lat. Linguae Origin. Tum *Matthias Marzinius*, & *ὁ πᾶν Vossius* in *Etymologicis*. Nam nunc haud nostrum est, istas componere lites.

v. 17.

FICORVM FOLIIS, *ὅν τε θρία δὶ κνή*) *Σουκῆς* & *ἀμπέλους φύλλα*, ficus & vitis folia, explicat *Hesychius*; Bacchus autem utriusq; habitus est inventor. Vnde *Dionysum Σουκίτην* sive ficulneum *Lacedæmonij*, *Sofibio* teste, sunt venerati, quem *Naxij* *Μελίχιον* dixerunt; apud quos & *Bacchi*, quem *Διόνυσον* vocabant, τὸ *πρόσωπον ἀμπελιλιῶν*, facies è ligno vitis erat: illius vero, quem *Meilichium* nominabant, è ficu. *Μελίχα* enim *Naxijs* dicebantur ficus; ceu *Athenæus* refert, lib. III. cap. v.

Pag. 2. v. 9.

LATINI AD SPIRATIONE EX PRIMA) Verba *Nicolai Perotti* sunt in *Copiæ Cornu*, pag. 326. Quibus adde, quæ *Ioh. Torrellius* habet in *Commentar. Grammat.* sub vocabulo *Triumphus*; & *Aldus Manutius*, in *Orthographia* sua, ex *Libris, Lapidibus* & *Poliziano* vetustis, pag. 735. & seqq.

POMPA SCILICET SOLENNIS ILLA) Quomodo & *Hesychius* *πομπήν, ὅτι δὲ ἐν νίκῃς*, reddit *θρίαμβον*, id est, *Pompam victoriæ indicem*: qua quidem nihil excelsius, nihil magnificentius olim poterat excogitari: ut quæ plane *Terrarum Dominos eveheret ad Deos*, quibus honor ille deferebatur. Id quod suis *Olympicis ludis* tribuebant *Græci*; in quibus propterea *Olympionicam esse*,
prope

prope majus fuit, quam Romæ triumphasse: testante ipso Cicerone, Orat. pro L. Flacco.

TRIVMPHYM PRIMVS APVD GRÆCOS BACCHVS) Verba Solini, quæ huc faciunt, leguntur ipsius Polyhistoris c. LXV. Quibus suffragatur Plinius Hist. Nat. lib. 7. cap. 56. & Diodorus Siculus lib. III. Biblioth. suæ c. LXV. Meminitque Apollodorus lib. III. de Orig. Deorum, pag. 142. Columnarum apud Indos, à Baccho, dubio procul in signum victoriæ, positarum; ut & Dionysius in Periegesi, verso 1164. Apud eum tamen Scholiasta Eustazium Arrianus inducitur dubitans, an ab aliquo Dionysio bellum unquam in India gestum sit: quod nec ille Semeles filius, nec alius quisquam ejus nominis, fuerit bellicosus. Quomodo & Lucianus illum semel iterumque ut imbellem in Dialogis exagitat. Interim triumphum ejus venuste eleganterque descripsit Sidonius Apollinaris Carmine xxxii. quod Burgus Pontij Leontij inscribitur, pag. 170. edit. Paris. 1599.

v. 16.

RE AB EXIGVIS EXORTA INITIIS) Quibus ipsi auctori Triumphii, à quo & genita & educata simul urbs est, ut scite Lactantius lib. VII. Div. Instit. cap. 15. de canna eras straminibusque domus (a). Unde illud Carneadis pronunciatum ap. eundem terribilissimum Scriptorem: (b) Romanis, si restituerent aliena velint, ad casas esse redeundum. Quamvis & aliarum rerum rudia fere sint initia, quæ tempore perpoliuntur, ut ursum catuli.

pag. 4. v. 5.

(a) Ovid. Fast. lib. v. c. 17.

TENVES PRINCI PIO EXILES QVE TRIVMPHI) In quibus nihil vidisses nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma. Cujusmodi eos ad Pyrrhum usque & Tarentinos superatos fuisse, Florus prodit lib. I. cap. 18.

1b. v. 6.

DEINDE PAVLATIM CRESCENTE) Cum pastorum casas ille Gallorum ignis, & flamma paupertatem Romuli abscondisset: prout idem is ibidem loquitur cap. 13. Nihilominus facta tecta manente adhuc Augusti ævo, referentibus Vitruvio (c) atque Dionysio, (d) illa Romuli casa, ac inter aurata laquearia, & radiantes marmore columnas, Romanis luxuriam suam exprobrante.

1b. v. 7.

c) lib. 2. c. 1.

d) lib. 1. p. 94. edit. Lugd. 1565.

Ib. 7. 12.

brante. De quo pluribus *Stanislaus Kobierzycski* lib. II. de Luxu Romanorum cap. VI.

CVM INTEGRÆ PROVINCIAE AC REGNA

Imo orbis universus, ut *Vegetius* inquit, subjugum missus. Hanc enim opinionem imbiberant Romani, sive ex Geographiæ ignorantia, sive quod vel sibi ipsis illa dulci imaginatione, vel

e) pag 405.
& seq edit.
Crabb.

Imp. suis blandirentur: ut adeo istiusmodi, oculis plenè sint libri & monumenta omnia, sic ut nec ipsi Patres ijs abstinerent. Ita enim in Concilio Chalcedonensi, Actione I. (e)

Præcepit Dominus Orbis Terræ; jussum est à Domino Orbis terræ. Quod testimonijs posset ulterius firmari, nisi alii dudum id præoccupassent: in quibus ille nomine suo longe major *Hugo*

Grotius est, Annotatis ad cap. III. lib. II. de Iure Belli & Pacis; & Doctor olim meus, mihi semper venerabilis, *Hermannus Conringius*, cap. II. de German. Imperio Romano. Ut *Iohan Freinsheimium* & *Theodorum Sirmannum* taceam, quorum ille in eru-

ditis ad *L. Florum*, hic vero ad *P. Rutilij Itinerarium* Animadversionibus, id egerunt. Quin & in nummis id professi sunt,

f) pag. 101.
edit.
Hamb.
1609.

Imp. orbem simul dextra portantes; qualem ex *Constantii Imp. Fridericus Lindenbrogius* exhibet atque explicat, doctissimis ad *Ammianum* Observationibus; (f) & nos hic tibi sistimus ex *Didj Juliani*, apud *Aur. Augustinum*.



Quomo-

Quomodo item communiter cum sphaera vel orbe effingi solitas Imperatorum imagines, *Basilij Scienciensis* verba planum faciunt, *Orat. II. de Adamo* (g) ac hodiernum pomum aureum in coronatione Augustissimi Imperatoris, sacratissimas Ipsius exornat manus. De quo pluribus *Marquardus Freherus ad Petrum de Andlo* pag. 182.

g) pag. 9.
edit. Com-
mel. 1796.

POPULI ROMANI DVX, IMPERATOR APPELLATVS) pag. 6, v. 6.

Non qua ratione à temporibus *Iulij Caesaris* vel *Octaviani Augusti* ita dicebantur οὐ δὲ ὀνομαστός, qui summam potentiam & auctoritatem in republ. habebant: Nec ut eo nomine veniebat quivis P. R. Dux, cuius auspiciis gerebatur bellum: Sed qui bene gestare publica, sicut *Tacitus Annal. III. cap. 74. gaudio & imperii victoris exercitus conclamabatur.* De quibus Imperatorii nominis significatis consulendi *Sigonius lib. III. de Antiq. Iure Provinc. cap. VI. & Commentario in Fastos ad annum U. C. DCCVIII. Onuphrius in Fastis ad annum DCCIX. & DCCXXVII. & Iulius Caesar Bülengerus lib. I. de Imp. Rom. cap. I.*

FASCES LAUREATOS IN VRBEM MITTEBAT) Ita *Zonaras Annal. Tom. II. pag. 31. De literis vero testatius est; quas, quod lauro essent involutæ, laureas, & laureatas, & tabellas laureatas vocitabant; Cicero Victrices literas dixit: (h) Easque primis temporibus exercituum Duces Romam ad Senatum mittebant: posterius vero vel Duces ipsi ad Caesares, vel Caesares Romam ad Senatum miserunt, in Capitolio in signum communis lætitiæ perpetuo consecrandas: ut Livii, Taciti, Plinii, Iulii Capitolini, Lampridii, innitens auctoritati, persequitur late *Wolffgangus Lælius, Comment. reip. Rom. lib. 2. cap. 4. & lib. 9. c. 20.**

h) Epist. 21.
lib. 5. ad
Attic.

DEBITVM QVE TRIUMPHVM PETERE POSSET) *For. pag. 6. v. 10.* mulas in triumphis postulandis & decernendis receptas, ex *Livio* potissimum collegit *Barnabas Brissonius Lib. II. de*

Form. P. R. pag. 208. In quibus eminet, qua *C. Manlius Procos.* Senatu sibi in *Æde Bellonæ* dato, commemoratis à se rebus gestis, postulavit: (i) UT OB EAS DIIS IMMORTALIBVS HONOR HABERETVR, SIBIQVE TRIVMPHANTI VRBEM INVEHI LICERET. Tum qua *M. Fulvius* ex *Ætolia* redux, ad *Ædem Apollinis*, in Senatu petiit à Patribus: (k) VT ÆQVVM CENSERENT OB REPVBLICAM BENE AC FELICITER GESTAM, ET DIIS IMMORTALIBVS HONOREM HABERI IVBERE, ET SIBI TRIVMPHV M DECERNERE. Ex quibus etiam patet, senatum non semper in *Æde Bellonæ* datum redeuntibus è bello Ducibus: Quod & *Fabritius* innuit lib. 1. *Antiqq. Rom.* cap. XIII. quo agit *De Curijs & Senaculis.*

ib. v. 31.

NEMINI TRIVMPHATVRO VRBEM INGRESI) Qui propterea tam diu ad urbem dicebatur esse, usque dum lege lata triumphans urbem intraret. *Asconius Padianus* Prooem *Act. in Verrem*: (i) Ad urbem dicitur de iis, qui cum potestate provinciali, aut nuper è provincia reversissent, aut nondum in provinciam profecti essent. Et pag. 115. Omnis magistratus, qui intramuranus non est, nec urbanus, etiam si administrator ejus Romæ est, Ad urbem dicitur. Vbi quæ *Francisc. Hotomannus* & *Petrus Nannius* commentati sunt, si placet, lege.

1. pag. 61.
edit. Lugd.
Bat. 1644.pag. 6. v.
nlh.

IMPERATOR HABITV TRIVMPHALI AMICTVS) E templo Jovis Capitolini desumpto, ceu ex *Lampridij Alexandro*, & *Capitolini Gordianis*, docet *Octavius Ferrarius* lib. 2. cap. 7. *Iustus Rycquius* etiam tangit, *Commentario de Capitolio*, de Re Vestiararia cap. XIX.

pag. 7. v. 2.

MILITES AD CONCIONEM CONVOCABAT) Stans in altiore suggesto, quo ab omnibus posset conspici: prout pulchre delineatum in *Roma Vetere*, ex *Italico* in *Germanicum* translata ab *Alberto Reimaro*: (l) & in nummo *Caligulae* hinc expresso:

(l) pag. 64.
edit. Arn.
heim, 1667.

presso : ejus similem apud *Lindenbrogium* videas, in citatis ad *Marcellinum Observat.* pag. 37.



MILITIBVS PECVNIAM DONABAT ET ORNAMENTA) *ib.* 7. v. 4.
 Quod bonam spem ibi fovere exercitum necesse sit, *Onofandro* judice, (m) ἵπτα πινὴ μὲν ἀποδοῖσαι τοῖς ἀγαθοῖς, πινωρία δὲ ἔ (m) *Strap-
 παραπίμπλας τῶν κακῶν*, ubi fortibus & bonis honor habetur, *reg. cap. 34.*
 malis autem pœna irrogatur. Sane ab *hisce* militaribus orna-
 mentis processisse gentilitia Germanorum arma, quæ vulgo *Wappas*,
 seu Cancellorum vocabulo *Clenodia* vel *Insignia* vocant : eo-
 rumque usum non minus in Romana militia, atque hodie
 extitisse : ex duobus potissimum *Monumentis* in *Carinthia* &
Stiria repertis, atque à se in frontispicio libri positis, contra
 illorum opinionem, qui *Henrico Aucupi* illorum initia tri-
 buunt, adferere nititur non uno loco, (o) in *Reip. Rom. Com.* (o) *lib. 9.
 cap. 14. &
 cap. 17. ac
 pag. 894.*
mentarijs, laudatus nobis ante *Lazius*.

TORQUES) De quo *Vegetius* lib. 2. cap. VII. *Torques au-
 veus solidus*, virtutis præmium fuit : quem qui meruisset, præter
 laudem, interdum duplas consequabatur annonas, &c. Id quod
 docere pluribus possit *Johannes Schefferus*, venusto de *Torqui-*

bus Antiquorum Libello cap. II. & *Laurentius Pignorius* Symbolarum Epistol. pag. 37. *Lipsius* lib. v. de Milit. Rom. Dialogo XVII.

ib. v. 5.

(p) lib. 7.
cap. 2.

CORONAS ALIIS AVREAS) Quas incendendis militum animis ab exercitus Duce militi, jam ante quam pugnaretur, fuisse propositas, *Paschalius* existimat, (p) præclaro de Coronis opere: e. gr. si castra perrumpenda forent, *castrensem*, ut summum decus; si vallum capiendum, *vallarem*; si urbis obsessæ subeundus murus, *muralem*; si navali prælio dimicandum, *navalem* sive classicam. Re demum feliciter peracta, ab Imperatore coronas in edito loco fuisse positas, admonitosque milites, ut qui se dignos illis ducerent, id palam in omnium oculis apud ipsum profiterentur. Sic factum ut nulla fraus obreperet; nullus ibi ambitioni, nullus fautoribus & gratiæ locus esset. Quod si res in ipsius Imp. oculis gesta fuisset, ut neque testes, neque professionem expectari necesse esset, Imperatorem milites tanto honore dignos nominatim appellasse: illos vero accedentes ad tribunal Imp. multo honore verborum pulcherrimum præmium accepisse, non sibi tantum, sed & posteris & familiæ decus. Locum fere totum adscripsi, quod liber est in paucorum manibus: licet nuper sit recusus.

ib. v. 7.

NAM QVI MVRVM) De coronis militaribus scripsere iidem illi ferme, qui supra de Triumpho, etsi diversis nonnunquam libris vel capp. *Iohannes* videlicet *Tortellius* Comment. Grammat. sub voce *Stemma*; *Alex.* ab *Alexandro Genial.* Dierum lib. 4. cap. 18. & ibidem *Tiraquellus.* *Wolffg. Lazius* reip. Rom. lib. 9. cap. 18. *Carolus Sigonius* lib. 2. de Antiq. Prov. jure cap. x. *Guido Pancirollus* part. I. Memorab. Tit. LV. & ibid. *Henricus Salmuth.* *Iustus Lipsius*, lib. v. de militia Rom. Dialog. XVII. & ex eo *Antonius Thyssius* Romæ suæ illustratæ,

strata, pag. 154. & seqq. *Carolus Paschalius* toto libro vii. de Coronis; *Philip. Carolus*, Animadvers. in *Gellium* lib. 2. cap. xi. Animadvers. iii. *Iohannes Meursius* peculiari de Coronis libello cap. xv. *Henricus Kippingius* Dissertat. de *Victoria* & *solemibus* ejus, ubi de *Triumpho* etiam universe, non sine industria laude, conquistavit, quæ illustrare ipsum uberius possunt. *Muralis* vero ut & *vallis* vestigium in nummis nusquam reperiri, præterquam quod corona *turriza* seu *turrifera* insignitum inveniatur caput *Alexandriæ civitatis*, in nummatis *M. Lepidi*, & *Magna Deum matris Cybeles*, in nummis *Faustina Augusta*, putat *Antonius Augustinus*: (q) ex quo propterea utriusque picturam subjicio.

(q) Dial. ii.
Antiqq.
pag. 22.



QUI CLASSE VICERAT, CORONA ROSTRATA) Quæ & ib. v. 9. navalis, & classica dicebatur; qua donabatur præcipue is, qui maritimo prælio primus in hostium navem armatus transiisset, cujusve opera manuvæ navis hostium capta fuisset, ut *Gellius* lib. 5. cap. 6. & supplente ipsum *Scaligero Festus*: Eaque ornatum in nummis invenias *M. Agrippam* apud *Ant. Augustinum*, utpote qui solus Romanorum ex *Paterculi* atque *Dionis* mente, honorem istum assecutus est: contra quam *Plinius* istius simul partici-

ticipem facit *M. Varronem*, qui *Piratico bello* eam à *Magno Pompejo* adeptus sit, lib. xvi. cap. 4. ubi *Doctissimi Dalechampij* notas inspice. Est & in *Augusti nummis* ap. laudatum *Præsulem* pag. 14. num. 22. hac fere forma: Qua tamen potius *victorias illius terra marique gestas*, quam *honorem istum* significari, *Cl. Schefferus* arbitratur; qui omnino hinc legendus lib. iv. de *Milit. Navali*, cap. 3.



ib. v. 10.

QUI VERO CIVEM IN PRÆLIO, OBSIDIONEVE,) Inter Obsidionalem & civicam hoc discriminis erat, quod hæc servati unius civis signum, illa plurimorum civium servatorum esset: Istam *cives*, qui liberati obsidione erant, darent *Duci*, qui liberasset: civicam vero *civis* daret *civi*, à quo in prælio esset servatus. Illa *graminea* erat; hæc *quercea* vel *querna*; (quod ante causa vite in hac arbore hominibus fuisset, qui glandibus vescebantur; ut *Servius* ait, ad vi. *Æn.*) (r) Eaque cum laurea deinceps *Imperatoribus*, ac in his primo omnium *Augusto* à *S. P. Q. R.* oblata, ut hæc quidem pro foribus ob hostes victos; civicam vero, OB CIVES SERVATOS, in fastigio domus *Palatinae* poneretur. Sic enim verba *Dionis* lib. LIII. pag. 507. τὸν τὰς δάφνας

(s) Notis ad Excerpta ex Dionis pag. 97.

περὶ τῶν βασιλείων αὐτῆς προτίτωσθαι, καὶ τὸν τῆ Φανὸν τὸν δρύϊνον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρετῶσθαι, explicanda potius, monet *Henricus Valesius*, (s) quam quomodo *Xylander* vertit: & super eas *querna* suspenderentur: motus

motus auctoritate *Suetonij* in Claudio cap. 17. ubi *navalem coronam fastigio Palatinae domus juxta civicam fixisse*, dicitur. De quo etiam *Vir Cl. Caspar Sagittarius* videndus singulari de *Januis veterum libello*, cap. xxx. Cæterum & quernæ hujus in *Imp. nummis figurâ sæpiuscule reperias*, hac ratione pictam :



(QUI VERO EQUESTRI PVGNA VICERAT) De præmiis ^{ib. v. 14.}
 Equitum *Hermannus Hugo* lib. v. de *Milit. Equestri* cap. 1. pag. 310. & 314. *Zonaras* tradit, corona donatos equitum fortissimos, cui *ἰππικὸν π*, aliquid ad equitatum pertinens, fuerit insculptum. Egregius vero locus de illa præmiorum distributione extat apud *Polybium* *Histor.* lib. vi. (r) qui & ipsi ^{(r) pag. 483. edit. Wechel. 1619.}
Lipso judicatus dignus, in quem dicto de *Militia Rom.* libro, & *Dialogo*, thesauros eruditionis suæ profunderet. Etiam de *formulis* in ejusmodi largitionibus adhiberi solitis, *Briffonius* adeundus lib. iv. de *Form. P. R.* pag. 350.

HÆC DONA NON VIRITIM, SED COHORTIBVS) *Zonaras* ^{Pag. 8. v. 7.}
 d. l. καὶ ἔ κατ' ἄνδρα μόνον ἀρτυῖται ταῦτα ἐδίδοτο, ἀλλὰ καὶ λόχοις, καὶ στρατοπέδοις ὅλοις, παρείχετο. Nam pleraque, ad dona militaria & spolia pertinentia, ex eo auctore *Onuphrius* huc transcripsit. Confer *Henricum Savilem* lib. de *Milit. Rom.* pag. 47. (u) & *Iustum Lipsium* lib. 2. de *Magnit. Rom.* cap. 12. & seqq. ^{(u) Edit. Lips. pag. 47.}

G

IMPRRA-

Ib. v. 12.

IMPERATORES POPULO EPVLVM ET CONGIARIVM)

(x) Sueton.
in Tib. cap.
20.

Quomodo Tiberius triumphum agens, prandium populo mille mensis, & congiarium trecentos nummos virisim dedit. (x) Congiarium vero à congio; quod primo congii olei & vini darentur, post etiam pecunia, aliave, manente eadem appellationes. *Budæus* Annot. Poster. in Pandectas: (y) *Donativum largitio Imperatoris in milites, λαμπρὰ ἐπίδοσις: quæ eadem in populum facta, congiarium dicitur. Iunge Cujacium* Observat. lib. x. cap. 37. *Alexandr. ab Alex.* lib. 5. Gen. Dier. cap. 24. & ibid. *Tiraquellum*, pag. 777. *Schardij*, *Aliorumque Lexica; Iustum Lipsium* lib. 1. Elect. cap. 8. *Laziumq;* lib. iv. reip. Rom. c. ix.

(y) pag. 142.
edit. Col.
1517.

Ib. v. 16.

IMPERATOR CVRRVM CONSCENDEBAT)

Thure prius Diis dato, pronunciatisque verbis sequentibus: DII, NVTV ET IMPERIO QVORVM NATA ET AVCTA EST RES ROMANA, EANDEM PLACIDI PROPITIATIQUE SERVATE. *Blondus*, Romæ Triumph. lib. x. pag. 164.

Pag. 8. v. 35.

CVRRVM INSTAR TVRRIS)

Græca apud *Zonaram* sunt: τὸ δὲ ἄγμα ἔτ' ἀγωνιστηῖω, ἔτε πολεμιστηῖω, ἢν ἐμφορὲς. ἀλλ' ἐς πύργου περιφερεῖς τροχὸν ἐξείργασο.

(a) Tom. 11.
pag. 31.

(a) Qua ratione formatus etiam est, quem ex *Onuphrio* æri incisum, hic exhibemus; & qui ex nummis *Trajani* & *Antonini Pij* infra producuntur, triumphales currus: ut ut quæ in *Speculo Romana Magnificentia* reperitur *M. Aurelij* triumphantis imago, pulcherrimo marmore in *Capitolio* inter tot urbis ruinas posteritati servata, atque ab *Antonio Lafrerio* venuste expressa (quæ eadem forte cum illa est, quam in *Palatio Conservatorum* inter plurima monumenta alia conservari *Iacobus Boissardus* scribit, (b) & *Pau-*

(b) Itin.
Schotti
part. 2. pag.
94.(c) Part. 2
Cosmogr.
p. 1019.(d) Tom. 1.
pag. 27.

(c) *Merula*) (c) præ se ferre videatur speciem currus superiore parte quadrati. Et *Plutarchus* quidem auctor est, eis τὸ τὸ ἄγμα καὶ τὸν ὄγκον, eam in figuram & fastum evexisse triumphum *Tarquinius Priscum*: Secundum alios vero, *Publicolam* primum ἐφ' ἄγματος δελαμβεῦσαι. (d) POPV-

POPVLVS SE OMNIBVS CIRCIS ET LOCIS) Rursum verba b. d. 20.
Plutarchi sunt, (e) in vita *Pauli Æmilij*, ubi ait: *Populum ἐν τοῖς (e) Tom. I.*
ἰππικοῖς θεάτροις, ἃ κίρκως καλεῖται, ἐν ἐκκεστρίοις θεάτροις, quæ Cir- pag. 272.
cos vocant, & foro, alijsque Urbis partibus, ubi conspici pompa po-
terat, ἰκρία, h. e. tabulata fixisse. Cum quibus & illa *Iosephi* con-
 gruunt: (f) *Vespasianū & Titū* duxisse triumphum, *διὰ τῶν θεά-* (f) Lib. 7;
τρῶν διαζελαύουσις, per theatra (per spectacula vertit Interpres, qui pag. 972.
Ruffinus vulgo existimatur,) transeuntes ὅπως εἴη τοῖς πλήθει ἢ
θεάτρων, ut multitudini facilius esset aspectus. Quod scilicet ibi jam
 parata essent sedilia, ut novis substruccionibus haud esset opus.
 Etiam *reges multarum gentium* ad triumphum *Pauli Æmilij* spe-
 ctandum *Romam* venisse, narrat *Euzropius*, lib. iv. pag. 48.

VIA ET TEMPLA SERTIS ET ODORIBVS REPLETA ERANT)

Sic iterū ille eodem loco: *πᾶς δὲ γὰρ ἀνέων, ἢ σφάνων καὶ θυμια-*
μάτων ἦν πλήρης. Ritu gentibus passim, atque ita etiam *Roma-*
nis, vel extra triumphum usitato: quem jam dudum exposuere
viri omni laude cumulatissimi, Isaacus Casaubonus ad Suetonij Ca-
ligulam pag. 411. Lipsius Comment. ad xiv. Taciti Annal. pag.
400. Paschalius lib. II. de Coronis, cap. xi. Bulengerus lib. III. de Im-
peratore, cap. 8. Augustus Buchnerus ad Venantij Hymnum de Re-
surr. Domini: (g) ut ejus quidquam repetere, non sit necessum. (g) Edit.

ANTE OMNIA VNIVERSVS SENATVS) Pertinet huc pi.

Aura quædam *Lafrerij* ex *Fragmentis Antiquitatum* desumpta, Witteb.
 in qua omnium ordinum & sexus homines effusos urbe vi 1627. pag.
 deas ad excipiendum *Imp. triumphantem.* Quodque *Appianus* 19.
de Pompejo ait, (h) *ex Oriente adventanti: Obviam illi longis-* (h) in Mitk.
sime fuisse itum à juvenibus; deinceps ut quorumcunque atas fere- rid. pag.
bat; postremo à Senatu, demirante gestorum magnificentiam. 338.
 Tum quod *Guntherus*, gestorum *FridERICI Barbarossæ* luculentus
 Scriptor, de hujus in *Papiam* glorioso ingressu, versibus ul-
 tra seculi, quo vixit, genium eruditus, scripsit, *Ligurini* sui
 lib. II. vers. 190. & seqq.

ib. v. 16.

POMPÆ INITIVM VEL A PORTA CAPENA) Ad quam ducebat via Appia, illa longarum regina viarum, Papinio Statio. Ad quod ejus elogium, vide Nobilissimi. Barbij Animadvers. Tom. 1. pag. 202. & quam hic inter omnes Ejus Reginam sibi jam olim visam ait, Iusti Lipsij in Admirandis Urbis, Com-

(i) Lib. III. cap. x.

mentationem : (i) quæque Georgius Fabricius, Bartholomæus Marlianus & Paulus Merula de eadem annotarunt. Ea enim via ampla, & VIII. mill. passuum ab Vrbe frequens ex utroque latere habitata erat, & inde in Capitolium rectum & amplum iter : in quo lignei primum continuique arcus, post marmoreis columnis suffulti, unde multitudo satis commode triumphum spectare posset :

(k) Lib. 2. Hist. Rom. pag. 10.

si Pomponio Lato credimus : (k) à quo hæc ipsa mutuatus est, Commentario in Aurelij Cassiodori Consulibus Iohannes Cuspinianus, pag. 485.

ib. pag. 17.

VEL AB EA QVA TRIUMPHANS INGRESSVRVS). Triumphalis portæ disertememinit Iosephus libro & pag. citatis, cum inquit : πρὸς δὲ τὴν πόλιν αὐτὸς ἀνεχώρησεν, τὴν ἀπὸ τῆς πέμπτης διὰ αὐτῆς αἰεὶ τῆς Θριαμβῆς τῆς πεσοχηγίας αὐτῶν τετυχηίας. Ipse vero (Vespasianus) ad portam recedit, quæ ex eo, quod per illam triumphorum pompa ducitur, nomen accepit. A qua, via sic denominata, per pontem triumphalem (cujus adhuc iv. pilas è regione Hospitalis S. Spiritus eminere ex aqua, notavit Fabricius) à campo Vaticano continuabatur in Capitolium, ut idem hic observat. Nam Bossardus, prout in Itinerario Francisci Schotti & Hieronymi ex Capugnano legere est, cum Capena confundit. Confer Marliani Topographiæ Urbis Romæ lib. II. cap. 8.

ib. v. 22.

LIGNEÆ TVRRES ET CAPTARVM VRBIVM SIMVLACRA) Iosephus iterum : Maxime, inquit, stupori erat pegmatum, quæ portabantur, fabricatio, pro cuius magnitudine timendum viribus portantium occurrentes putabant. Multa enim in tertium quartumque nidum surgebant. — Erat ibi cernere, vastari quidem fortuna-

fortunatissimam terram, totas vero interfici acies hostium; & alios fugere, alios captivos duci, murosque excellentes magnitudine machinis dirui: & castellarum excindi munimina, & populorum civitatum mœnia disturbare, exercitumque intra muros infundi, cœdisque omnia loca plena, & eorum qui manu resistere non poterant, preces, ignemque templis immisissum. — Hæc enim Iudæi passi sunt: ars autem & confectorum operum magnitudo, nescientibus adhuc facta, tanquam presentibus ostendebant.

SCRIPTURIS ADIECTIS, GESTORVM SERIEM) Appianus ib. v. 25. de bell. Mithrid. pag. 340. Translata est & tabula (triumpho Pompeii) hoc titulo: Naves nostræ DCCC. capte sunt, Vrbes conditæ VIII. in Cappadocia, in Cilicia Cœlesyriaque XX. in Palestina Seleucis: Reges victi Tigranes Armenius, Antiochus Hiberus, Orezes Albanus, Darius Medus, Areta Nabateus, Antiochus Comagenus. Et Dio, Cn. Pompejum inter tropæa, unum magnum, summu ingenti apparatus, intulisse narrat, γεγονὴν ἔχον, ὅτι τῆς ἐπισημίας ἐστίν, de orbe terrarum inscriptionem habens: Histor. Rom. lib. xxxvii. pag. 39.

SEQUEBANTVR POSTHÆC GENTIVM VICTARVM AR- Pag. 10. v. 3.
MA) Desumfit hæc rursus ex Plutarchi Emilio; possentque hujus ritus longe plures produci testes, Suffecerit vero notasse, Romanos non satis habuisse, ea publice semel sic spectanda exhibuisse, sed & nummis eadem impressa ad feram usque posteritatem annis suis fuisse propagare; additis titulis, IVDÆA CAPTA, ASIA RECEPТА, vel similibus, qui cum armis rem gestam commemorando renovarent. Cujus generis etiam sunt, quos hic apponimus, Imp. Augusti & Trajani nummi, ex Ant. Augustino pag. 10. num. iv. & pag. 14. num. xvi.



Pag. II. V. 7.

DEIN HOSTIVM REGES) Quo pacto *Gentius* Illyriorum Rex ab *Anicio Cos.* cum uxore, liberis, *Caramantio* fratre & nobilibus Illyriis : *Iugurtha* à *Mario*, *Perseus* ab *Æmilio*, ante currum ducti. *Ipsam sublimem*, inquit *Appianus* de *Pompejo*, precedebant regum satrapæ, vel duces, vel filij, partim captivi, partim obsides in summa CCCXXIII. Inter hos *Tigranes* filius *Tigranis*, & quinque *Mithridatis*, *Artaphernes*, *Cyrus*, *Oxathres*, *Darius*, *Xerxes*; filia *Orsabaris* & *Euparra*. Traductus est & *Colchorum* rex *Olabaces*, & *Iudeorum* *Aristobulus*, Tyrannique *Cilicum* : *Scytharum* item regie fœminæ, duces tres *Iberorum*, *Albanorum* duo, cum *Menandro* *Laodicensi*, qui equitum *Mithridatis* præfectus fuerat. Absentium autem effigies transvehebantur, *Tigranis* & *Mithridatis*, pugnantium, & cedentium, ac fugientium. *Mithridatis* vero etiam oppugnatio, & noctu tacita fuga expressa ac representata : ac postremo etiam mors ejus subjecta fuit spectatorum oculis. Appictæ erant & virgines, mortis ejus sociæ. Præferiebantur tabula cum utriusque sexus liberorum, ante illum defunctorum, imaginibus, & Deorum barbaricorum figura, cum ornatu patrio,

Pag. II. V. 7.

CVM FILIIS, FRATRIBVS, FAMILIARIBVS, LACRYMAN-
TES) *Mox parvo intervallo*, inquit *Plutarchus*, ducti liberi re-
gis

gis captivi, quos nutritiorum, preceptorum & paedagogorum grex lacrymabundorum comitabatur. Hi manus ad spectatores tendebant, puerisque suggeriebant, ut orarent & supplicarent populo. Duo filij erant, filia una, magnitudinem calamitatis sue per aetatem non capientes: quo miserabilior ex vicissitudine fortuna simplicitas eorum erat, ut pene Perseus spectantium oculos praterierit; Ita miseratio in infantes Romanorum defixerat aciem; ac multa effusa lacrymae sunt: omnibusque mixtum acerbitate & oblectamento fuit spectaculum, quousque pratergressi sunt pueri. Eos eorumque famulitium proxime excepit Perseus pullatus, patrijs indutus crepidis, praemissiarum mole ad omnia stupentis, & attoniti mente similis. Pone hos amicorum & necessariorum regis caterva, quorum erat luctu oppressus vultus. Quia vero perpetuo defixam in Persea aciem habebant, lacrymabanturque, opinionem imprimebant spectantibus, illius se lamentari fortunam, de sua sorte minime laborare. Quo loco non facile, ad hanc rem explicite proponendam, commodior forsan reperiri queat.

IMPERATOR AVKATO CVRRY A QVATVOR ALBIS ib. v. 17.
 EQVIS) Aureo curru, habet Florus, *Picturato in Triumpho* lib. i. c. 5.
 Scipionis Appianus: quomodo & in Aureliani apud Lafrerium
 Deorum expressae atque effigatae sunt imagines: Gemmato
 Pompejum in vectum, scribit idem; ἀματι διαπεπῶς νεοσμένῳ,
 curru magnifice exornato, Plutarchus *Æmilium*. Insuper currus
 erat laureatus, ut nihil non in hac pompa. Quatuor equis tri-
 umphandi morem, ad Hetruscos itidem refert Florus. λευκῶ
 πτερίπῳ albis quadrigis Camillum primum triumphasse, scripsit Zo-
 naras, ut & Auctor de Viris Illustribus, Cap. xxiii. & Plutar-
 chus: quem tamen in hoc errasse, insequentium seculorum
 exempla manifestum reddunt, quod neminem vel ante Camil-
 lum vel post illud fecisse putavit. Nisi haec quae sequuntur
 verba: ἰσθὸν γὰρ ἠγάθησαν τὸ τοῖστον ὄχημα τῷ βασιλεῖ καὶ πατρὶ τῶν
 θεῶν

θεῶν ἐπιπεφύμισμένοι, *Sacrum enim eum currum habent Deorum regi
& patri dicatum*, referenda forte ad currum sint, quem ex
aliqua Iovis desumerit æde: sicut & *Barbium* video dubi-
tante adserere. Eos enim Diis consecrari solitos, idem
(m) Pag. 33. ille in *Romulo* testatur, inquit. (m) ipsum *inter reliquam prædam*
ex Camerio attulisse τῆς ἐπιπποῦ χαλκῆν, currum æneum, quem in
templo Vulcani dedicavit. De *Elephantis, Tigribus, Leonibus, Ca-*
nibus, Cervis, quibus aliquando triumphatum, luxu præsertim
magis magisque in Vrbe invalescente, prolixè alii; in quibus
& *Demsterus* est, ad *Antiquis. Rosini*, pag. mihi 1042.

FEREBANTVR ETIAM AVREÆ CORONÆ, QVIBVS
IMP.) *Plutarchus* denuo: *Sub his corona aureæ quadringentæ nu-*
mero translatae, ἕς αἱ πόλεις ἀρξεία τῆς νίκης τῷ Διμίτῳ μετὰ πρεσ-
βειῶν ἐπέμφαν. Et apud alios exempla eius extant infinita.
(n) Lib. de Provinciales Tertullianus nuncupat, (n) simul magnas & ponde-
Coron. rosas eas fuisse innuens, cum inquit: *Sunt & provinciales au-*
cap. 13. *reæ, imaginum jam, non virorum, capita majora quærentes*: quas
male ibi ad *Sacerdotum provincialium coronas* trahit *Jacobus*
Pamelius pag. 266 edit. Paris. 1635. Offerebantur scilicet à
sociis & subditis honoris & gratulationis causa. Progressu
vero temporis, quod munus primo fuit, hoc onus esse cœ-
pit, conflato inde *Auro coronario*: quod non jam in victoriis
solum & hostibus superatis, sed quotiescunque ea opus es-
set, vel initio principatus, aut cum filius nasceretur Prin-
cipi, aut adoptione facta, aut si alia aliqua pompa id videret-
tur exigere, collatum à subditis, imò imperatum iisdem: Vt
similiter ostensum pluribus est à *Iusto Lipsio* lib. 2.
de *Magnit. Rom.* cap. 9. *Demstero* dicto ad *Rosin.* loco,
Wolffgango Lazio, *Reip. Rom.* lib. 11. cap. XIII. & libro IX.
pag. 939. *Marcello Donato* in *Scholiis* ad *Histor. Rom.* Scri-
ptores pag. 510. *Carolo Paschalis* lib. 8. de *Coronis* cap. VI.
Vbi

Vbi tamen perperam illa *Salviani* lib. vi. de *Gubernat. Dei*: pag. 248. edit. Norib. 1623.
Aurum quod pendimus, munera vocamus. Dicimus donum esse, quod pretium est, & quidem pretium conditionis durissima & miserissima; eo refert: cum de tributo quod Barbaris ac hostibus Imperii sub muneris vel doni honestioribus vocabulis, dabatur, intelligenda esse, vel ipse contextus satis moneat, doceatque Vir magnæ eruditionis Conradus Rittersbusius Commentario ad eum locum pag. 259. ex Casauboni ad Spartiarum Observatis eruditissimis simul ipsum illustrans. Figuram vero coronarum, Impp. ea ratione præferri solitarum Onuphris in ipsa Triumphii descriptione æneis formis excusa, facit radiatam, qualis in hoc Augusti nummo conspicitur: de qua plura aliquando diximus, Libello nostro de Coronis pag. 3. (o)

(o) (Edit.)
 Helmstad.
 1662.



TOGA PURPUREA TRIUMPHALI AVRO INTERTEXTA (p) pag. 417 edit. Lugd. Bat. 1621.
 AMICTVS) Plin. lib. 9. cap. 36. Purpura omnem vestem illuminat: in triumphali miscetur auro. Iovis Opt. Max. ornamentum vocat Livius lib. x. cap. vii. Iovis exuvias, Suetonius Augusto, cap. xciv. Tunicam Iovis, Iuvenalis Sat. x. vers. 38. Capitolinam palmatam Flavius Vopiscus; (p) vel propter eam, quam

H

quam habebant inter se, ista Iovis & hæc picta toga similitudinem; vel quod è Capitolio à triumphantibus sumeretur: ut jam ante Rycquium & Ferrarium, Iohannes Britannicus observavit, ad Satyrici illius verba. Quanquam quæ ab ip[s]is ex Capitolino & Lampridio, adducuntur, de triumphantium proprie non loquantur veste, sed de Consulari & Imperatoria. Pompejus Appiano *Alexandri Macedonis Chlamyde*: *Vespasianus vero & Titus Iosepho* δάφνη μὲν ἐστὲ φανόμενοι, πορφύρεας δ' ἐσθῆτας πατρῆας ἀμπεχόμενοι, lauro quidem coronati, amicti autem patria veste purpurea, memorantur triumphasse. Et est quidem apud Pancirollum *de Habitu Imperatoris* peculiaris titulus, & in eum Salmuthi commentatio: insperfitque ejus generis plurima annotamentis suis ad Sidonium Apollinarem Iohannes Savaro. Imaginem vero togæ illius pictæ seu triumphalis ex nummo quodam Augusti Imp. præter Rycquium exhibuit Iacobus Guiberius Lib. 1. de Vet. jure Pontificio, pag. 221. cujus typum gerit, qui à nobis hic adjectus est.

ib. v. 30.
(9) lib. 8.
cap. 1.

IN CAPITE LAVREAM SEV AVREAM) Duorum generum erant triumphales corona, inquit Paschalius. (q) Priorem locum obtinuit illa, quam exercitus Imperatori dabat, scilicet argumentum judicij de suo duce sui. Hujus duæ fuerunt species; una laurea, quam triumphans capite gestabat: altera AUREA, id est ex auro effigiato in speciem lauri. Alterius generis fuerunt illa, quas provincie ductori exercitus Romani, cum is è militia domum redibat victor, gratulationis ergo certatim mittebant. Hoc genus coronarum triumphanti præferabatur. E duabus prioribus, illa, que erat laurea, id est, contexta seu plexa è duobus ramulis lauri, caput triumphantis evinciebat. At illa AUREA, proprie dicebatur insignis laurea; quandoque insignis corona triumphalis. Hanc servus publicus, eodem quo triumphator curru vectus, gestabat super caput ejus. (r) — Eam triumphalis Dux domum suam non deferabat, sed perfectò

(r) Ibid.
cap. 3.

perfecto prope triumpho, triumphali curru vectus, deferbat ad Iovem, eamque in ipsius gremio deponebat. — Nec tantum apud Iovem Capitolinum hæ corona deponeretur, sed & alia numina, apud ejus scilicet adem, cujus opere rem confecerat. — Illa altera vere laurea, quam triumphans capite gestabat, veluti splendidissimum domesticæ virtutis insigne, summa cura domi asservabatur: eamque persæpe proferrî mos in veterè republica receptissimus fuit. Itaque quoties res magna peragebatur, — tunc vero vir triumphalis in publicum egrediebatur, sua corona non tantum conspicuus, sed & venerabilis. Quæ comparare forte operæ pretium fuerit, cum iis, quibus *Hyginus* de Capitolio, pag. 247. iique ipsi, qui alias de Triumpho scripsere, hunc ritum illustrant: præsertim cum sibi ipsi non constare hac in parte videatur *Paschalius*, dum eodem cap. III. libri VIII. præmittit: *Iovem Capitolinum non tantum laurea corona cultum, quæ facile arefcit, sed & illa insigni specie, hoc est amplitudine vel materia.*

LAVRVM DEXTRA, SINISTRA EBVRNEVM SCEPTRVM) *ibid.* v. 227

Ita etiam depingi curavit in sua descriptione Onuphrius: at in nummo *Traiani* subjecto laurus in manu sinistra, sceptrum in manu dextra cernitur. Et quamvis apud *Plutarchum* *Æmilius* dicatur δάφνης κλάωνα τῆ δεξιᾷ protendisse; & apud *Zonaram* Triumphans depingatur τριανόντῃ δάφνης ἀναδυσσάμενος, καὶ κλάδων κρατῶν ἐν τῆ δεξιᾷ, laurea redimitus & ramum dextra tenens: tamen id fieri potuit, cum sceptro haud utebatur. Nam alterum illorum interdum neglectum, & hæc auctorum verba, quæ sceptrum omittunt, & nummus *Antonini Pij* mox subijciendus, in quo laurea non compareret, ostendunt. Ipse *Appianus*, cum in *Punicis* inquit, vertente *Sigismundo Gelenio*: pag. 44.

Mox Imperator invehitur curru picturato, redimitus gemmata corona aurea: Amicitur autem toga clavata purpurea: Manu gestat sceptrum eburneum & virgam lauream, quæ apud Romanos signum

est victoria : non addit, num dextra vel sinistra hoc vel illud gestarit. De sceptro vero præ aliis dignissima lectu habet Thomas Reinesius Epist. xxiii. ad Christ. Ad. Rupersum pag. 77. Iovis insigne vocat Servius ad Eclog. Virgil. x. De quo Mythologi, Phornusus De nat. Deor. pag. 49. Albericus, de Deorum Imag. pag. 313. & Georgius Pictorius, Apotheos lib. 1. pag. 10. videndi. Aquilã eidem supersedisse, putat Isidorus, ob indicium, quod per victoriã quasi ad supernã magnitudinẽ accederet. Orig. lib. 18. c. 2.

pag. 240.
edit. Basile



ibid. v. 25.

LICTORES CVM FASCIBVS LAVREATIS) De Licetoribus & fascibus cumprimis operose egit Lipsius lib. 1. Electorum cap. 1. De laureatis fascibus, Sigonius lib. 2. de Antiquo jure Provinc. cap. 7. Lazius lib. 2. cap. 4. & lib. 9. cap. 20. Paschalius de Coronis lib. 8. cap. x. Formam istorum videas apud Gutherium dicto libro pag. 45. In Inscriptiõnibus Petri Apiani & Bartholomæi Amantij pag. CCXL. & prout ipsos lauro circumdedere, apud Lazium & in Delineatione Triumphi Onuphriana. Utebantur illis belli Duces statim ab eo tempore, quo Imperatores ab exercitu erant proclamati. Peracto vero triumpho detracta fascibus laurea dabatur Iovi Capitolino : ut Plinij & Obsequentis testimoniis

monii probat *Paschalius* lib. 8. cap. 2. *Lipsius* insuper ex *Dione* & *Seneca*, *Comment.* ad II. *Taciti Annal.* pag. 91.

QVIDAM DEVICTIS HOSTIBVS INSVLTANS) *Appianus* Pag. 12. 5.
in *Punicis* Ipsum Imperatorem precedunt *lictōres paludati*. & *chorus* *citharistarum ac Sathyrorum*, *Etrusco more cinctorum*, *ornatorumque coronis aureis*, qui pariter incedunt cum cantu & *tripudio*. *Ludiones ipsi vocantur*, opinor ideo, quia *Etrusci Lydorum coloni sunt*. Horum in medio quidam *stolatus ac purpuratus*, *ornatusque monilibus & torquibus aureis*, *gesticulatur ad movendum risum*, tanquam *insultans hostibus Cicerias, Manducos, Petreias*, quos risus excitandi gratia unà hic adhibitos, apud nonnullos cernas, ad *Circi portus*, quam *Triumphis pompam*, referendos crediderim.

PONE TRIUMPHANTEM QVIDAM PVBLICVS MINISTER) *οικέτης δημόσιος Zonara*, apud quem illa *Tertulliani* (1) *brevius*; *ὀπίσω βλέπει*, *retro vide*: quæ *Pancirollus* (2) *Respice futura*. & *hominem te esse cogita*. Tantum ut *hominem se esse in illo sublimissimo curru admoneretur triumphans*: qui hoc magis gaudebat, tanta se gloria coruscare, ut illi *admonitio conditionis sue esset necessaria*: prout idem ille doctissimus *Ater*. Unde *Isidorus* (u) *cui carnifex est minister ille*: *Quod vero à carnifice contingebantur triumphantes*, id erat *indicium*, ut ad tantum fastigium evecti, *mediocritatis humanae pramonerentur*. *Accedebat & alius ritus*, *Plinio Majori observatus*; (x) *annulus scilicet in digito ferreus*, *aquam faciens fortunam & triumphantis*, & *servi coronam sustinentis*. De quo plura suggerere queat *Iohannes Kirchmannus* libro de *Annulis*, cap. xv. *Uti superiora illa comprobant Pamelius ad ista Tertulliani*, pag. 125. *Britannicus ad Iuvenalis Satyr. x.* (y) *Camerarius Horar. Suciſiv. Tom. I. cap. XII.* Ut ut adeo mirer, quid *Laſio* venerit in mentem, [quem *Titus Popma*, (z) *lib. de Operis Servorum videtur secutus*] cum scriberet: (a) *Triumphalis servus dicebatur*, qui triumphantis aureum currum sequebatur, in capite coronam

ib. vers. 10.

(1) Apolog. cap. 33.

(2) Part. I. Tit. 57.

(u) Orig. 18. cap. 2.

(x) lib. 37. cap. 1.

(y) vers XL & seqq

(z) lib. XII. de rep. Rom. c. 5.

(a) pag. 16.

nam ex auro gestans, & in digitis anulum ferreum; maximè cum, quos adducit testes, vel plane rem non tangant, vel
ibid. v. 18. in alia omnia eant.

APPENSA QUOQUE CVRRVI ERAT NOLA) Transcri-
(b) Plin. pfit hoc iterum ex *Zonara*, atque ita cum eo *Fascinum* omit-
lib. 28. c. 4. tit, illum *invidia medicum*, & *infantium aliàs custodem*: [b] qui
triumphantium currus, sub his pendens, credebatur defendere. U-
sum vero nolæ in damnatis ad supplicium deducendis ex-
plicant *Petrus Faber*, *Semestr. lib. 2. pag. 104.* *Hieronymus Ma-*
gius lib. de Tintinnabulo cap. xi. ubi & hominis hoc modo
ducti figura cum tintinnabulo est apposita: atque Franciscus
Swertzus ibidem in notis. *Angelus Roccha Commentar. de*
Campanis, Cap. 3. & novissime Henricus Arnoldus Stockfletch,
ib. v. 25. *Parte I. de Campan. usu, cap. xx.*

SEPIVS IN EODEM CVRRV ADDVCEBANTVR PVERI)
Verba *Zonara* hic denuo afferre supersedeo, ut & exempla
de *Paulo Emilio*, aliisque, quorum affatim alibi est,
Satis vero erit hoc confirmasse nummo *Antonini Pij*, extante
ap. *Ant. Augustinum pag. 42. num 1. & jam pag. superiore à*
nobis citato.



MAR-

MARCELLVM DEXTRO, NERONEM SINISTRO FUNALI) Pag. II. v. 2.

Quadriga constabat quatuor equis, aliuertis, ut *Silius* loquitur, *Æquata fronte & concordia currere freno*. In his medierant ζυγοί, οἱ ὑπὸ τῷ ζυγῷ ἵπποι qui jugo subiciebantur, jugales: quos inter erat ῥυμός live *temo*, τὸ μέσον τῶν ἵππων ζύλον, ᾧ συνδέεται ὁ ζυγός, *medium lignum, cui jugum erat annexum*. Latera ipsorum stipabant duo alii, παράροι dicti, Latine *funales*, οἱ παράζευγμένοι ἐκτὸς τῆς ζυγῆς ἵπποι, *extra jugum loris & catenis recti*: ut ad diversa *Homers* loca ejus habet *Verus Scholiastes*, *Diadymus* vulgo putatus. (c) Quibus consona tradit *Julius Pollux*, *Onomastici* lib. 1. cap. x. cui οἱ ἐκατέρωθεν ἵπποι, equi ab utraque parte juncti, insuper sunt παράστροι, σιραφόροι, καὶ σιραῖοι, *adjutores, catenam deferentes*. Ex quo jam videre est, quomodo hic *funalium* alius sit *dexter*, alius *sinister*: id quod & *Nummi* allati declarant. An vero huc pertineat, quod in numismatis *Augusti* quatuor junctis ad currum elephantis totidem insidere conspiciantur pueri; ut *Levinus Torrentius* ad *Suetonium* (d) (ex cujus *Tiberio* hęc *Onuphrius* mutuatus est) existimavit; & annon potius illi rectores elephantorum sint statuendi; relinquimus disquirendum. Interim sine causa *Torrentium* carpit *Marcellus Donatus*, eundem hunc locum explicans, (e) quod *funalem equum* appellarit σιραῖον, cum is auctoritate *Pollucis* se tueri poterit. Magis ridiculum est, quod hic *funales equos à fune seu face* denominatos est arbitratus; quod his *insidentes, ante currum triumphali lumina gestarint*. De asserta vero quadrigarum ratione videri super hęc possunt *Iohannes Argolus* *Notis* in lib. 1. *Pauviny* de ludis *Circens.* pag. 35. *Nicolaus Pinellus* ibidem pag. 105. *Henricus Valesius* in *Excerpta ex Damasceno*, pag. 71. & *Thomas Reinesius* lib. III. *Variarum*, pag. 634.

MILITES CARMINA PATRIA SALIBVS ET RISV) Plutar. ibid. v. 1. 13.
chus in Emilio: (f) Ἐδαφνηφόροι δὲ καὶ σύμπας ὁ στρατός, τῷ μὲν ἄρματι (f) pag. 174. Tom. 1.

ἄρματα τῆς στρατηγῆς κατὰ λόχους καὶ τάξεις ἐπόμεινος, ἄδων δὲ, τὰ μὲν, ὡδὰς πιάς πατρίας, ἀναμειγμένας γέλωτι· τὰ δὲ παιᾶνας ἐπικίβας, καὶ τῶν διαπυπραγμένων ἐπαίνας εἰς τὸν Αἰμίλιον, περιβλεπτοὺς ὄντα, καὶ ζηλωτὸν ὑπὸ πάντων. *Laureatus etiam universus exercitus centuriam & manipulum currum ducis profecutus est, partim carmina patria jocis mixta, partim cantilenas victorales, rerumque gestarum laudes, canebant in Paulum, quem suspiciebant omnes, & beatum censebant.* Quibus gemina scripsit Appianus in Punicis pag. 49. Triumphum Scipionis referens, & Livius in Triumpho Cn. Maulj, lib. 39. cap. vii. Alios excitavit Brissotius lib. iv. de Form. pag. 351. & seqq. ubi & acclamationes ipsas, & jocularia carmina legas, quæ nonnunquam in Imperatorem sat amarulenter sunt effusa: quod res simplex esset triumphus, & in eo magna jocosorum licentia, ut Appianus ibidem. Adde quæ Vir Cl. Iohannes Saubertus utiliter observavit, ad B. Parentis sui Prodrum Philologiæ sacræ, ubi & hunc & alios ritus triumphales, à pag. 74. ad 88. perquisite recenset.

Pag. 13. v. 20

ALIQVOT CAPTIVORVM DVCES IN CARCEREM DVCI OCCIDI QVE IVBEBAT) Nec tamen semper. Nam *Perseas* regem *Emilius Paulus*, ejus misertus, ἐκ τῆς καλεμένης κάρκερε, εἰς τόπον καθαρὸν καὶ Φιλανθρωποτέραν διαστειν, ex carcere in locum mundum, atque humaniorem victus rationem transtulit teste Plutarcho Tom. ii. p. 274. Et de *Pompejo* Appianus in *Mithridat.* pag. 340. *Vbi in Capitolium venit, neminem captivum necavit, ut triumphatores alij, sed publicis impensis remisit quemque in suam patriam, exceptis regijs, è quibus solus Aristobulus mox interemptus est. & post eum Tigranes, Zenobia item ab Aureliano triumphata, vivere concessum est: ferturque vixisse cum liberis,* inquit *Trebellius Pollio* (a) *matrona more Romana, data sibi possessione in Tiburri, &c.* Interim hæc omnia pro victoris libidine fiebant: ceu etiam *Petro Fabro* demonstratum lib. 2. *Semestrium* pag. 31. & seqq. IMPE-

(a) pag. 348.
edit. Lugd.
Bat. 1621.

IMPERATOR IN CAPITOLIVM IRE PERGEBAT) Pag. 13. v. 22

Ubi τῆς πομπῆς τέλος, pompa finis, secundum Iosephum. Id vero C. Caesar triumpho Gallico ascendit ad lumina, XL. elephantis dextra ac sinistra lychnuchos gestantibus, testante Svetonio: (b) atque ut Dio narrat, (c) τὰς ἀναβασμὰς τὰς ἐν τῷ Καπιτωλίῳ τοῖς γόνασι ἀναρρῖχόμενος, per gradus in Capitolium genibus ascendens. Quod ne præter consuetudinem factum existimemus, rursus illi gravissimo Historicorum etiam Claudius Imp. de Britannia triumphans, inducitur & reliqua & hoc fecisse κατὰ τὸ νομιζόμενον, pro more, ἀναφερῶν αὐτὸν τῶν γαμβρῶν ἐκατέρωθεν, levantiibus eum utriusque generis. (d) Prolixo enim, nec exili erat corpore, (e) ut sine illorum ope dubio procul tot gradus haud potuisset genibus emetiri. Et Capitolii quidem Ornamenta & Aedificia persequitur aliquot capitibus Bartholomæus Marlianus; Topographiæ Urbis lib. 2. pag. 18. & seqq. Idemque fecit, cuius ante quoque meminimus, peculiari de illo Commentario Iustus Rycquius: qui primo Gandavi 1617. prodiit; & nuper Lugduni Batavorum est recusus; (f) sed ita ut alteram adhuc eius partem desideremus, qua agere constituerat de Ritibus Capitolinis sacris profanisque

b) In vita eius p. 47.
c) lib. 47. pag. 224.

d) lib. 60. pag. 680.
e) Sveton. in Claud. cap. 30.

f) An. 1669.

TUNC TAURORVM ET ALIARVM HOSTIARVM Pag. 14. v. 1

MACTATIONES) τινὰς πλετὰς exprimit Zonaras, quæ Hesychio sunt θυσιάαι μεγίσται καὶ πριωτέραι, δὲ τῶν γινομένων εἰς αὐτὰς δαπανημάτων, sacrificia maxima & præstantiora, ab impensis quæ in ea fiebant. Id quod de tauris sacrificare est Servio, (g) τὰ ἐπιένικια θύειν, Palyano. (h) Iosephus vero à quo ista accepit Auctor: ἐκεῖ δὲ, inquit, ἀπεγγέλη τέλος ἔχων, καὶ πάντες εὐφύησαν, ἢ χολῶ τῶν θυσιῶν, ἃς ἐπὶ ταῖς νομιζομέναις καλλιερῆσαντες εὐχαῖς, ἀπέσταν εἰς τὸ βασιλεῖον. Postquam autem Simonem vita finem habere nuntiatum est, omniumque favor secutus, tunc hostias inchoavere: hisque secundo per vota solemnia omne peractis, in palatium recessere.

(g) Ad. iv. An. p. 362.
(h) Strateg. lib. v. p. 359.



sero. Ubi *εὐχῶν* nomine & preces possunt intelligi, communiter à Triumphante hic adhibitæ: cuiusmodi hæ apud Blondam sunt: (i) GRATIAS TIBI IVPITER OPTIME MAXIME, TIBIQUE IUNO REGINA, ET CÆTERI HVJVS CVSTODES HABITATORESQVE ARCIS DII, LIBENS LÆTVSQVE AGO, RE ROMANA IN HANC DIEM ET HORAM PER MANVS QVOD VOLVISTI MEAS SERVATA BENE GESTA QVE. EANDEM ET SERVATE, VT FACITIS, FOVETE, PROTÉGITE PROPITIATI, SUPPLEX ORO. Quamvis & vota, in extremo belli discrimine vel ipsa dimicatione à Ducibus & militibus nuncupata, hîc sole-
 rent persolvere: quod *Onofander* (k) vocat τὰ νενομισμένα χαριστήρια μετὰ τὴν τῷ πολέμῳ πασιπλῆ νίκην ἀποδιδόναι, vota nominata victoria plene reportata reddere. Qua ratione *Aurelianus Imp.* curru quatuor cervis juncto, qui *Gothorum* regis fuisse dicebatur, *Capitolium* apud Fl. *Vopiscum* legitur (l) inuectus, ut illic cederet cervos, quos cum eodem curru captos, votiſſe *Iovî Opt. Max.* ferebatur. Quam votorum & nuncupationem & oblationem *Briffonius* lib. i. de Formulis pag. 99. & seqq. *Iacob. Philippus Thomasinus*, Libro singulari de *Donariis & Tabellis votivis*. *Wolfgangus Lazius* lib. ii. Reip. Rom. cap. vi. & *Vir magnus Iohannes Strauchius*, jam inclytæ *Giessena* grande decus, Commentat. in *Legem sing. Cod. de Votorum oblatione*, (m) accurate pertractant: Uti antiquum sacrificandi ritum, ex vetustis monumentis diligenter expressum, *Onuphrius* noster exhibet, lib. ii. de Ludis Circ. pag. 90. tum *Iohan. Baptista Casalius*, parte iii. de Antiquo Urbis splendore cap. i. ac *Iohannes Saubertus* e-
 lucubratissimis de Veterum Sacrificiis *Collectaneis* cap. xviii. & nos, prout jam quidem possumus, ex nummo *Domitiani* elegante

(i) Rom.
Triumph.
lib. x. p. 167.

(k) Strateg.
cap. 33.

(l) pag. 386

(m) Edic.
Brunsvig.
1667.

elegante apud *Jacobum Gutherium* pag. 228. Ubi & pag. seq. ex *Columna Trajani* exquisitissimam ejus habes figuram.



DONARIIS QVIBVSDAM DEDICATIS) Quæ Pag. 14. v. 2
 rursum *Zonara* sunt ἀναθήματα: dicta *B. Augustino* lib. iv. Quæst.
 supra Num. Quæst. 41. (n) à rebus quæ vota & persolutæ, hoc est, (n) Tom. 1.
 promissæ & redditæ, sursum ponebantur in templis, ἀπὸ τοῦ ἀνω τι- pag. 250. c.
 θεῶν, h. e. sursum ponere, vel figendo, vel suspendendo. Quemad- dit Basil.
 modum *L. Marcius*, ille *Scipionum* in *Hispania* victor, *Clypeum Asdru-*
balis ex auro supra fores *Capitolina* adis fixit. *Plinius* lib. 35. cap.
 III. *L. Scipio* tabulam victoriae suæ *Asiaticæ* in *Capitolio* posuit. I-
 dem 6. cap. iv. *M. Claudius Marcellus* Torquem aureum magni
 ponderis de prada *Bojorum* & *Insubrum* *Jovi* in *Capitolio* dedicavit.
Livius lib. 33. cap. 22. *L. AEmilius* de *Gallis* triumphans τὸ
 μὲν *Καπιτώλιον* ἐκόσμησε ταῖς τε σμηναῖς καὶ τοῖς μανιάκοις, *Capitolium*
 signis eorum *militariibus* & *armillis* ornavit. *Polybius* *Histor.*
 lib. 2. (o) *Pompeius*, tertio triumpho suo vi. pocula *murrhina*, (o) pag. 119.
 sive primum in *Urbem* inducta, *Jovi Capitolino* dedicavit. *Plin.* edit. d.
 lib.

lib. 37. cap. 2. *Augustus Imp. sedecim millia pondo auri in cellam Iovis contulit.* Sveton. cap. xxx. vitæ ejus. *Alexander, teste Lampridio, Tunicas Persicas in Capitolio locavit.* Alii vero etiam aliis templis sua dona intulere, ex ipsis quoque militibus: quorum gladii bene de bello cruenti & meliores homicidæ, ut Tertullianus lib. de Resur. carnis ait, (p) laudem nonnunquam sua consecratione pensabant: sicuti pluribus hoc omne testimoniis Auctorum, Nummorum & Lapidum illustrat, modo dictus *Thomassinus*, nominati libri capp. xxi. & xxii. & *Rycquius* citati item de *Capitolio* Commentarij capitibus ultimis. Ut de *Anathematis* voce legi ulterius potest *Dionysius Peravius* in *Miscell. Exercitat. advers. Salmasium*, cap. xiiii. & seqq. & *Fridericus Lindenbrogius* Glossario in *Cod. LL. Antiquarum*, pag. 1353

(p) Cap. 16. pag. 390. edit. Paris. 1641.
 pag. 14. v. 3. CVM IN PORTICIBVS IBI COENATVM) Hoc itidem habet Zonaras. *Appianus* autem, in *Punicis* refert, (q) *Scipionem* finita pompa amicis in templo ex more epulum dedisse: *Dio* (r) *Tiberium*, cum ovans urbem esset ingressus, epulum partim in *Capitolio*, partim in aliis Urbis locis præbuisse: *Josephus*, (s) *Vespasianum* & *Titum*, peracto triumpho in palatium recessisse, & alios, quidem epulis excepisse, aliis vero domi fuisse instructos conviviorum apparatus. Apud quem item legas, militibus etiam ante triumphum, priusquam ingrederentur urbem, ex more prandium ab Imp. parari solitum. *Posidonius* vero apud *Athenæum* (t) auctor est, Cœnam illam in *Herculis* fano fuisse præbitam, apparatu plane *Herculeo*. *Mulsu* enim affusum, & pro edulis fuisse carnes fumo duratas & elixas, & hostiarum nuper mactatarum assas partes abunde multas. Ubi *Dalechampius* in *Notis* (u) addit: *Herculem Triumphalem* fuisse in foro *Boario*, sic dictum, quod dum triumphum agerent, palmata triumphalique veste ornaretur. *Plinius* denique scribit, (x) & *Triumphantium*

(q) Init. l. 55.
 (r) Dio lib. pag. 979.
 (s) lib. 4. cap. 13.
 (t) pag. 730.
 (u) lib. 33. cap. 7.

phantum corpora minio illini solita, quod Deorum simulacris is color esset, (propter aetheris videlicet similitudinem, ut Servius (y) exponit) idemque addi in unguenta cæna triumphalis confuisse. Conferv. quæ Petrus Faber observavit Semestrium lib. 1. pag. 35. & Bulengerus lib. 11. de Imperatore cap. 33. ut & quæ de Græcorum triumphali festivitate habet Ioh. Meursius Græciæ Feriatæ lib. 111. pag. 110. in voce ἐπιβία. De porticu vero Capitolina vide Tacitum Histor. lib. 111. cap. 71. Dionysium Halicarn. Antiq. Rom. lib. 4. pag. edit. Lugd. Lat. 312. & ex recentioribus Georg. Fabricium Romæ suæ pag. 174.

VESPERI TIBIIS ET FISTVLIS ANTECEDENTIBVS) Ib. vers 30
 Adde & facibus : velut de Cesare refert Dio (z) qui triumphis diebus ex more peractis, ultima post cænam soleis indutus, (z) lib. 43. pag. 24.
 καὶ ἀνθισι παντοδαπῶν ἐπιφανώμενος, omnifaribusque floribus coronatus, in forum suum prodierit, atque inde domum vectus sit, comitante ipsum toto fere populo, & (quod supra ex Svetonio quoque factum vidimus, ipso in Capitolium ascendente) πολλῶν ἐλεφάντων λαμπιδας φερότων, multis elephantis faces præferentibus. Sic enim veteres gaudium suum testari solitos, sive publice, sive privatim læti quid obtigisset, exemplis comprobant, Casaubonus ad istum Svetonij locum pag. 55. & ad alium. Eiusdem, pag. 411. Idemque in Persium pag. 460. & seq. Petrus Faber, Agonistici lib. 2. pag. 146. 4. Jacobus Pontanus in Atticis Bellariis, ex Marzini de Roa Singularium lib. 2. cap. 16. & vel unicum Ciceronis apud Plutarchum, (a) evidenter ostendit. (a) In Vita Cicer. pag. 87.
 Quem, cum se disturbata Catilina conjuratione domum reciperet, civēs, ut quosque præteribat, acclamationibus & plausibus exceperunt, Servatorem & Patriæ patrem appellantes. Via crebris lampadibus & facibus, quas accenderant præ foribus, colucebant. Pralucebant ex tectis matrona ornandi & contemplandi

13 ενυδρατοικαυεαι ποτ causa

causa Ciceronis. Cujus modi, quin in tanta lætitia pariter factum sit, dubitari minime potest.

Pag. 17. v. 7.

CONSVLES INVITARI AD COENAM) Meminit hujus moris, qui apud *Valerium Max.* invenitur lib. 2. cap. 3. similiter *Plurarchus in Quæst. Rom.* (b) ad Quæstionem: Δία π τὴς θραμβεύσαντας ἐπιώντες ἐν δημοσίῳ παρηγάντο τὴς ὑπάδρας, καὶ πένοντες παρεκάλεν, μηδὲ εἰθεῖν ἐπὶ τὸ δεῖπνον; Cur, cum publico *excipere eum, qui triumphum duxisset, à Consulibus missis internumtis precebat, ne ad cœnam venirent?* Unde simul hoc colligere est, à Magistratu Triumphatorem, non istum ab hoc, convivio fuisse exceptum. Quod & *Petrus Crinitus* testimonio suo communit, lib. xxiv. de *Honestâ disciplina* cap. v. annectens alia quædam, non minus observatu utilia, ad comprimendum etiam hoc in loco Triumphantis factum, à S. P. Q. R. inventa. Nempe, cum illis quidem pro instituto majorum convivium dasile atque magnificentissimum in *Capitolio* pararetur, ne forte animus eorum nimis offerretur, aut immodestius in majore fortuna insolesceret, prope assedisse servulum, qui subinde in convivio diceret; *MAGIS SERVO TUO PAREO, QUAM TIBI*: quo velut probro admonitus seipsum, atque hominum conditionem æquo animo estimaret.

Pag. 19. v. 2.


AD OMNIA TEMPLA PVBLICAE SUPPLICATIONES FIERENT) Supplicationum duas fuisse causas, jamdudum annotatum *Gutherio* est, lib. 1. de *Vet. jure Pontif.* cap. 36. & lib. 4. cap. 16. Vnam ad avertendum malum, quod immineret, alteram ob rem feliciter administratam. Hæc apud Romanos honor erat, qui una cum Imperatoris nomine decernebatur. Scilicet cum Senatus populo Deum templa, aperiri, ac gratias Diis Imp. nomine agere jubebat, teste *Sigonio* lib. 11. de *Antiq. Jure Provinc.* cap. iv. Sicque triumpho erat prærogativa, quam decerni sibi Imp. postulabant

bant ad existimationem magis, quam ad Deorum gratulationem. Petebatur vero à Senatu hujusmodi fere verbis: UT IMPERATORI OB RES DUCTV AVSPICIO-QUE SVO PROSPERE GESTAS DIIS IMMORTALIBVS HONOR HABERETVR, IPSIQUE DECEDENTI DE PROVINCIA EXERCITVM SECVM DEPORTARE LICERET. Inde supplicationes primum per unum diem decretæ, deinde plurium dierum cumulo adactæ, laudi & gloriæ ejus concedebantur, ob cujus victoriam fiebant. Dierum enim cumulus non Deorum honori, sed hominis dignitati accedebat. In quibus decernendis Senatus etiam præscribere consueverat, quot hostiis in quasque supplicationes sacrificaretur. Dies vero isti erant otiosi, quibus in concionem non coire, vel cum populo agere licebat. Temperabant item à iurgiis & litibus, vincitisque vincula demebant. Ibant per urbem pueri coronas gestantes, hymnosque in Deorum honorem concinebant; vel majores XII. annis, omnes coronati & lauream in manu tenentes, supplicabant. Senatus etiam in hac supplicationis pompa se solemniter conferebat ad templa Deorum ibi sacrificans. Omnis autem populus dies festos agebat, Diis gratias agens pro spe victoriæ quæ effulgebat. Ut quidem pluribus persequuntur Jacobus Gutherius & Carolus Sigonius dictis locis: *Fungerus* in Etymologico, voce *supplicatio*. *Briffonius* de Formul. II. pag. 207. *Alexander ab Alexandro* lib. v. Gen. Dier. cap. 27.

TRIVMPHV M NAVALEM, QVI CONCEDEBA. Pag. 19.
TVR IMP.) Hunc tam accurate descripsit Celeberrimus ^{v. 12.}
Schefferus, lib. IV. de *Militia Navali* cap. II. ut eo amandasse
lectorem sufficiat. Summatim vero ut ejus pauca ex illo co-
gnoscas.

gnoscas : Imperator primum navem laurea coronatam mittebat Romam, victoriæ nuntiam. Post suas naves mittebat, decoratas spoliis navalibus, vel ipse etiam una proficiscebatur, subvectus nave maxima totius classis, suæ aut captivæ, eaque splendidissime ornata. Naves istæ etiam palmis coronabantur additis fertis & coronis. Ducebat vero secum & hostiles naves, puppibus suarum religatas, plenas & ipsas tabulis ac spoliis. Adventanti Romani procedebant obviam, non plebei modo, sed & Sacerdotes & Magistratus : ad quos cum appulisset, sistere navim atque descendere in terram solebat. Tum Senatam adibat, & ut triumphare sibi liceret, orabat. Neque enim sine ipsius decreto triumphum habere fas erat. Impetrata triumphandi licentia, pompa ipsa instituebatur. Ac primum quidem, ut in terrestri triumpho, præcedebant liciores : sequebantur alij cum cereis, alij cum tibiis, qui modos classicos ac nauticos canebant. Hos excipiebant tabulæ, imaginesque marium aut fluminum, in quibus prælia commissa fuerant ; deinde arma spoliaque navalia, inque his præsertim rostra, quæ plaustris vehebantur una cum captivis armis. Immiscebantur etiam acrostolia, cæteraque navium ornamenta. Post hæc sequebantur tabulæ, in quibus numerus captarum navium, fortassis & figuræ. Succedebat capta pecunia, itemque coronæ dono datæ à socijs. Pone ibant captivi piratæ, præfecti navium & duces. Quos omnes tandem sequebatur Imperator ipse, curru emnens, togam pictam indutus. Num & coronatus fuerit, & si fuit, an lauream vel aliam habuerit coronam, non est notum. Post currum ibant milites navales classariivæ : tum gubernatores, cæteraque turba nautica, laureis ornata. Deducebatur ad hunc modum pompa per plateas publicas ad Capitolium, & rite ibi peractis sacrificiis, Imperator aliquid

ex spoliis dedicabat Diis, in primis rostra, quæ & in templis suspendi, olim mos erat. Aliquando naves integras consecrabant, veletiam in honorem Deorum cremabant. Postea cæteræ naves subducebantur, vel in Navalibus, vel in campo Martio. Ad postremum signa quoque alia victoriarum erigebantur, spoliis navalibus cæteris, cum primis vero rostris, exornata: quale fuit tribunal in foro, rostris navium ab Antiatibus captarum decoratum: magis vero Columna Duilii. Errexerunt & alia quoque Tropæa ex instrumentis navalibus & armis: qualia sunt anchoræ, gubernacula, tela, naviumque fragmenta; imo & Arcus. Demum præter ædes sacras & loca publica etiam privatas domos suas istiusmodi navium captarum rostris exornabant. Atque sic quidem *Schefferus*, & Scriptorum testimoniis, & Nummorum figuris singula corroborans. Quem cum videam, dum opusculo huic, *Nundinis Autumnalibus* alias destinato, atque huc usque festinanter expresso, nescio quæ cunctatio injicitur, in *Catalogo Operum* suorum, *Hamburgi* nuperrime *Lectionibus* ejus *Academicis* subnexo, inter prælo parata recensere eosdem de *Militia Navali* libros, ita autem, *mutatos & emendatos, ut pro plane aliis ac novis* sint habendi, non possumus non eos avide expectare. Interim Tropæi ex armis & instrumentis navalibus imaginem, etiam hic Augusti nummus, ex eodem quo plerique reliqui, gazophylacio à nobis depromptus, exacte repræsentat.




K

DVILII

DVILII STATVA CVM COLVMA ROSTRATA)

Cujus stylobatam, ea qua restituta est forma, cum ipsa inscriptione, & Lafrerius excudit: *Scripturam ejus fractam & mutilam*, ceu ipse de se scribit, *ita cum cura expressit, ut non ipsa Fides possit fidelius*, Justus Lipsius, *Antiq. Lect.* lib. 2. cap. xiv: Insigni vero Commentario explicavit, *Petrus Ciacconius*, notantibus id ipsum *Ant. Augustino*, *Dialog.* iv. *Antiq.* pag. 51. & *Amberto Miraeo* *Biblioth. Eccles.* parte 11. pag. 118. Nam librum ipsum haecenus non vidi. Reperitur quoque in nummis Augusti rostrata columna, cum ipsius statua, hac effigie:



OVATIONEM AB OVE) Alias derivationes collegerunt iidem, qui supra citantur, Etymologi: *Vossius* scilicet, *Martinius*, *Fungerus*, alique: uti ipsam ovationem seu ovantis actum pariter tangunt, nominati ibidem *Triumpho Scriptores*: Quem etiam, post de *Militia & Machinis bellicis* à se compositos libros, ceu *felacis belli clausulam*, daturum quondam fuisse ipsum *Lipsum*, testatur in *Vita* ejus *Franciscus Sverrius*. Ab ovatione vero *aurum ovatum* est, velut *ovatione quassum*, cujus *Persius* *Sat.* II. meminit; ubi *Commentatores* *Casaubonum*, *Britanni*

pannicum, aliosque vide. Quanquam ab *ovis* deductum inibi id aurum malit *Scholiasus Verus*: pag. 31. edit. Paris. 1613.

DIFFERT OVATIO A TRIUMPHO) Quibus de causis ovare Ducibus licuerit, & in quibus ovatio à Triumpho distincta fuerit; docuerunt etiam *Alexander Neapolitanus*, *Genial. Dier.* lib. vi. cap. 17. & in eum *Nobilissimus Tiraquellus*; *Marcellus Donatus Commentar. ad Svetonij Tiberium*, pag. 404. *Petrus Gregorius Tholosanus lib. vi. de Republica*, cap. xx. num. 30.

CVI FACILITATI APTAM VENERIS FRONDEM CREDIDERUNT) Non illius libidinosa ac procacis, sed bellacis, victricis & triumphatricis, ut vult *Paschalius* lib. vii. de Coronis cap. ult. inductus auctoritate *Claudij* apud *Tertullianum* de Corona, cap. xii. qui milites redimiri myrto scripsit; & *Masurij* apud *Plinium* lib. 15. c. 29. qui *Triumphantium coronam* dixit; *Euripidisque*, *Herculem*, aliosque viros fortes, myrto coronatos incessisse referentis. Quibus addi quoque posset *VENERIS VICTRICIS* titulus, in nummis sæpe inventus, si hi fortium Imperatorum, & non, quantum quidem ex *Adolpho Occone* liquet, *fæminarum* tantum essent; ut *Julia*, uxoris *Severi*, (d) p. 252. *Plantilla*, uxoris *Caracallæ*, pag. 266. *Julia Mamae*, matris *Alexandri Severi*, pag. 280. & *Cornelia Salonina*; uxoris *Gallieni*, pag. 326. Alias myrtum non solum *Veneris* fuisse frondem, sed & illorum omnium, qui *Veneri* celebranda operam impendunt, ut *Pætarum*; *Matronarum*, & *amantium*: imo & *Virginum*; *conviviis* dicatam & *publica lætitiæ*, idem *Paschalius* præcedentibus aliquot capitibus tradit: de quo & *Pamelius*, (e) ad illa *Tertulliani*, & *Dionys. Lambinus* *Comment. in Horatium*, aliique plurimi.

(d) Edit.
Plantin.
1579.

(e) pag. 164.
edit. Paris.

od. 25. lib. n

NOVISSIMVS OMNIVM, JUSTINIANI IMP. AV-
K 2 CTORI-

CTORITATE TRIUMPHAVIT FL. BELISARIVS) *Assuetus* eos honores, quos nemo abhinc annis sexcentis habuisse visus est, praterquam Titus & Trajanus, & alij, quicumque Imperatores in bellum euntes, barbaras gentes superaverant; Quæ Procopij de coverba lib. 1. Vandalicorum, è versione Raphaelis Volaterrani. (f)

Opag. 73.
edit. Lugd.
1594.

Siquidem spolia acque tropæa patefaciens, captivosque præferens, per mediam urbem triumphum egit, non quidem antiquorum modo, sed ex propria domo pedibus usque ad Hippodromum processit: inde rursum ad locum, ubi sedes erat Imperatoris. Erant enim spolia, quæcumque ad regis capti ministerium esse consueverunt, aurei throni, vehiculaq; quibus regis uxorem vehi mos erat; ornatu vario, plurimisque lapidibus pretiosis constructa: aurea quoque pocula, & alia omnia, quæ regis mensæ adhibentur: argentum præterea multarum talentorum myriadum: omnis denique regia suppellex admodum pretiosa atque admiranda, utpote à Gazericho quondam Romæ è palatio direpta: in qua & Iudeorum multe res nobiles, quæ olim à Tito Vespasiano, cum Hierosolymas cepit, Romam cum quibusdam aliis exportatæ fuerant. — Erant etiam inter triumphæ captivos Giltmer ipse, purpuream quandam vestem humeros amictus, una cum omnibus consanguineis, & Vandali, quorum proceritate corporum ac pulchritudine præstarent. &c. Et paucis interjectis: Paulo post Belisario decretus triumphus antiquorum more. Nam Consul factus est, curuli sella humeris captivorum invehitur argentea, Zonas aureas, aliasque ex spoliis Vandalorum divitias populo dispersit, quanquam rem novam facere visus. Scripsit autem Procopius ea, quorum esset ἀπόκρισις, ut qui Notarius esset Belisarii & comes perpetuus; spectatque huc Paganini Gaudentij Disquisitione, Libro De seculi Iustiniani moribus Part. II. cap. 23. qua probat: More triumphandi non destituisse Iustiniani tempora: & Triumphatoris titulus, in Justiniano Codice huic sæpe tributus; de quo Bulengerus lib. 1. de Imperatore cap. 34.

POST

POST QUEM NEMINEM AMPLIUS DE MORE PRISCO Pag. 18. v. 7.
 TRIVMPHASSE INVENI) Et triumphasse tamen fertur,
 præter *Heracium* (de quo deinceps) & fortassis etiam plures, *Io-*
hannes Comnenus Alexij F. attestante *Niceta Choniata* Annal. lib. 1. p.
 21. (g) & *Iohanne Cinnamo* Histor. lib. 1. pag. 21. (h) quamvis cur- g) Edit. Ge-
 rum triumphalem, ex auro compactum, auroque obductum, non ascende- nev. 1593.
 rit, sed imagine Dei generatricis imposita, ipse crucem manu gestans b) Ed. Tra-
 pedes antecesserit: Ut imaginem *Trajani* olim curru triumphali ve- ject. 1652.
 xisse *Hadrianus Imp.* *Spartiano* dicitur, (i) cum *Senatus* ei trium- i) Ed. Lugd.
 phum detulisset, qui *Trajano* erat debitus. *Manuel* item hujus B. 1611.
 filius de *Hungaris*, ut iterum *Nicetas* xi. Annal. pag. 103. Qui pag. 7.
 & altera vice fuisset triumphaturus, nisi aëris tempestate & ter-
 ræ motu fuisset impeditus; testibus hoc eodem, lib. 111. Annal.
 pag. 130. & *Cinnamo* lib. 111. Hist. pag. 223.

QVIDAM REFERVNT HERACLIVM IMP.) Quem Pag. ead. v.
 splendide & *ῥεσπαισφίεγν* *Constantinopolim* reversum, scribunt 11.
Michael Glycas Annal. part. iv. pag. 385, (k) *Constantinus Ma-*
nasses Annal. pag. 404. (l) *Zonaras* Annal. 111. pag. 79: qui i) Edit. Ba-
 à *Senatu* populoque *Byzantino* ipsum exceptum addit, *μὲν* in 1572.
ἐν ὄψει τοῦ ἡγεῖται, lætis acclamationibus & plausu. *Historia Mi-* (l) Edit.
scella lib. 18. pag. 567. (m) *Populus* civitatis audito ipsius adventu, Lugd. B.
 intolerabili cuncti desiderio in *Leriam* illi una cum *Patriarcha*, & 1656.
Constantino Imp. filio ejus, egressi sunt, portantes ramos *oliviarum* & m) Edit. In-
lampades, laudantes eum cum gratulatione & lacrymis. *Accedens* golftad.
autem filius cecidit ad pedes ejus: & cum amplexatus eum esset, in- 1603.
 fuderunt ambo lacrymis terram. Hoc autem *populus* inspecto, univ-
 ersi *Deo* hymnos gratificos recitulerunt; sicque demum suscepto *Imperatore*,
 urbem exultantes ingressi sunt. Quæ ex *Theophanis* *H. storia* citat
Illustrissimus Annalium conditor, ad annum *Christi* 627 num.
 xxvi. Et dispiciendum, num huc forte pertineat *Heracly* num.

mus elegantissimus, à Lipsio lib. 111. de Cruce cap. xvi. exhibitus, in quo ipse curru insidens; crucemque sinistra gestans, collucentibus supralampadibus, conspicitur, additis hisce Davidis, ex Psalmo xci. *Super aspidem & Basiliscum ambulavit, & concalcavit leonem & draconem.*

Pag. 29. v.
18.

POST AVGVSTI TEMPORA. RARO TRIVMPHATVM) Caesaribus jam tantis, ut possent triumphos conseruere: Sicut de Augusto ipso scite loquitur Florus, Hist. Rom. lib. iv. cap. xii. Sane, quomodo etiam nunc Romæ triumphalis gentiliū pompa ad devotum Christianæ religionis cultum credatur redacta, dum Dei genitricis festo die, Christi Salvatoris nostri simulacrum ex Læperano in Esquilias ad Mariæ matris maiorem adem, quotannis ingenti plausu, solemnique processione defertur, universis cum suis faculis & luminaribus imaginem comitantibus, ex marmore Capitolino refert Laurentius Schradæus, Monument. Italiæ lib. ii. pag. 202.

Pag. 30. 21.

TRIVMPHALIVM ORNAMENTORVM VSVS HAC RATIONE PRIMVM INVENTVS) Verborum Dionis hoc experimentium, è versione Xylandræ & Leunclavij hic fere sensus est: (n) Agrippa quidem nomine, ob devictos Bosphoranos, supplicationem fuisse, nec tamen eum triumphum, etsi sibi decerum, duxisse, sicut nec initio quicquam de rebus à se gestis à Senatum perscripserit. Cujus, inquit, exemplum pro lege quadam acceptum, posteriores imitari, ne ipsi quidem senatum de re gesta certiores fecerunt; ἔτι τὴν πέρυσι τῶν νικητῶν ἐδέξαντο, neque triumphum oblatum susceperunt. Ideoque, ut ego censeo, nulli etiam alii, qui ejus similis esset, ποιῆσαι τὸ ἐδόθη, facere illud concessum, sed solis triumphalibus ornamentis sunt ornari. In quibus observandum duco, quod ait, ἔτι τὴν πέρυσι τῶν νικητῶν ἐδέξαντο, quasi æque aliàs in ipsorum, atque Agrippæ fuisset potestate; cum Onuphrius verbat: nec triumphum obtinuerunt. Dein, quod ultimis addit,

ὡς γὰρ καὶ ἐγὼ κρίνω, ut ego cenſeo, quæ ab isto plane ſunt omiſſa; licet innuere videantur, non omnes in ea fuiſſe ſententia. Plane ut, cum objici ſolet ex Svetonii Tiberio, quaſi is *primus triumphalibus ornamentis fuerit honoratus, novo nec antea cuiquam tributo honoris genere*; ut in huius legitur vita, cap. ix. bene monet Doctiſſimus *Torrentius*, recte à Svetonio addi tanquam de re minus certa, ut *quidam putant*: cum *Dio* ſcriptor diligentiffimus diſerte eius honoris auctorem *Agrippam* faciat.

TRIVMPHALIA ORNAMENTA FVERVNT, SUPPLICATIONES DECRETÆ) Paulo aliter *Lazius Comment. reipub. Rom. lib. 9. cap. 3. Triumphalia ornamenta erant corona aurea, patera aurea, sella curulis, ſcipio eburneus, toga picta, tunica palmata, ſtatua laureata, & nomina triumphalia; quorum ſæpe mentio apud auctores occurrit.*

LAVREA CORONA, PRÆTEXTA SIVE TRABEA TRIVMPHALIS, SCEPTRVM, STATVA) Quæ quidem pieraque ſupra explicavimus pag. 58. & 59. adjecto in ſupernummo æri incifo, in quo ſceptrum cum aquila, corona laurea, togaque picta, clare ob oculos ponuntur. Statuarum vero aliæ erant *Pedestres*, aliæ *Equeſtres*, aliæ *Curules*. *Pedestres* imaginem hominis ſtantis præ ſe ferebant; quales cum omnes τῶν Ρομῶν τὰς εἰκόνας τὰς τροπαιοφόρους, omnes *Romuli ſtatuas triumphales, in Vrbe invenerit Plutarchus*, ex eo probare nititur, *Romulum pedibus triumphum peregiſſe*, in illius Vita, pag. 27. *Equeſtres* & ipſæ pro Triumpho datæ; de quibus *Hermannus Hugo* lib. 5. de Militia *Equeſtri* cap. 1. & ex *Veteribus Plinius Hiſtor. Nat. lib. xxxiv. cap. 5.* Extatque adhuc *M. Aurelii Antonini* *equeſtris ſtatua ænea, in area Capitolina, in Speculo Magnificentiæ Romanæ à Laſferio, & Proſperi Pariſi, libro Italico Dell' Antichità di Roma, p. 234. cum cura exſculpta: cui fere Au-* (o) *gusti nummus* reſpondet ſequens, atque altera illa *equeſtris* figura;

(o) *È ἀντὶ τῆς
Ρομῆος.*

figura, cum tropæo super humerum; ad eundem illum annum pertinens, si *Sigonio* & *Osconi* credimus, quo Servator noster Jesus Christus humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, nempe Augusti xli. De quo & *Cassiodorus* videndus in *Chronico*, & ad eum *Cuspinianus*, mihi, pag. 348. edit. Basil. pag. 1553.



Cossum vero ornamenta triumphalia in Africa meruisse, refert *Paterculus*. Hist. Rom. lib. 2. cap. 116. Triumphales denique curules ut plurimum erant: eæque vel bijuges, vel quadrijuges; vel sejuges, vel elephantorum: ut pluribus *Emundus Frigellus* Libro singulari de Statuis Illustr. Roman. cap. xlii. *Lazius* dicti Commentar. libro ix. cap. 19: Triumphalis statua, quæ & illustris nominabatur, triumphantis habitu sculpta fuit, coronata videlicet, toga picta, trabea amicta; sedens in sella eburnea; altera manu scipionem eburneum, altera pateram auream tenens. Quamquam multis etiam tribuerentur, (de rogante huic decori, ut *Symmachus* loquitur, (p) adulantium facilitate) qui nunquam in acie steterant, nunquam castra viderant, nunquam denique tubarum sonum, nisi in spectaculis, audierant: ut *Plinius Junior* Epist. 7. lib. 11. Adde, quæ in genere de statuis habet

(p) lib. 10.
Epist. 15.

bet lectu dignissima Iohan. Guilielmus Stuckius, Scholiis in *Pon-
ti Euxini Periplum*, pag. 73.

SPOLIA OCCISI HOSTIVM DVCIS) Vetus con-
suetudo fuit eo in loco, ubi hostis esset cæsus, spolia capta in
stipitibus figere, sub Tropæi nomine; quod hostium fuga dicere-
tur τροπή, auctore Nonio: (o) eaque vel, quemadmodum erant
capta, ac sanguine cruenta, in proximam arborem suspendere;
ut apud *Virgilium* Æneas: (p)

o) p. 1248
elit. Basil

p) Æn. XI:
v. 8.

*Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit armâ,
Mæzenti Ducis exuvias. — Aptat vorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca peritum
Perfossamque locis.*

Qua etiam ratione in præsentem *M. Antonij* nummo (q) cernun-
tur affixa; atque *Othryades* quondam, *Lacedæmoniorum* Dux,
quadam è pugna cum *Argivis* solus semivivus superstes, teste
Chrysermo lib. III. rerum *Peloponnesiacarum* (r) armis hostilibus se-
mifraetis fultus, mortuorum senta fertur abstulisse, tropæum erexis-
se, suoque sanguine id Δὴ τροπαίῃσιν inscripsisse.

q) Ap. Ant.
August. p.
7. num. 3.

r) Ap. Plu-
tarch.
Tom. 11.
pag. 306.



Vel ex lapidibus, marmore, ære formata ponere, subscriptis
gentium devictarum nominibus, quo diuturnior esset rei ge-
stæ memoria. Quomodo adhuc Romæ inter templa divi Eu-
sebj,

L

sebj,

*sebj, & di vi Iuliani, in Esquilino ostenditur moles lateritia, in qua
 bina Marij (non C. Viary, ut legitur in Roma Vetere (s) à Reimaro
 versa) tropæa, eleganter depicta à Lafrerio, & descripta à Pom-
 ponio Lato: (t) Bartholomæo Marliano (u) & Georgio Fabricio: (x) a-
 pud quem item videas illarum Inscriptionem, etiam à Lazio
 mutilate citatam. Quamvis ante Domitium Enobarbum & Fa-
 bium Maximum, qui bello Allobrogico, ipsis, quibus dimicave-
 rant, locis saxæas erexerunt, & desuper exornata armis hostilibus
 tropæa fixere, mos iste, si Floro (y) adhibenda fides, alias inusi-
 tatus fuerit Romanis; ut qui nunquam hostibus à se domitis victo-
 riam suam soliti sint exprobrare: Macedonum forte exemplo,
 quibus eadem mens fuit, Pausania teste, (z) ἡ ἐς εὐνοϊάν ποτε τῶς
 ἀεγσχώεσσ ὑφείλονται, ut finitimos aliquando ad benevolentiam ad-
 ducerent. Vti apud Græcos in universum parum laudis adeptos
 fuisse, scribit Plutarchus in Quæst. Romanis, (a) qui primi ærea
 aut lapidea statuerunt tropæa. Cæterum ex more, quo tropæa
 non nisi in eminentioribus locis ponebantur, profuisse refert
 Servius, ad supra allata Virgilij verba (b) ut ea in urbibus, ex ad-
 ficatis arcubus, imponerentur; ceu ex apposito Claudij, (c) & altero
 illo Trajani ad p. 58. æri inciso, claret: cuiusmodi juxta Lafrerium,
 Jacobum Laurum, libro cui titulus *Antiqua urbis splendor*, atque
 in *Roma Vetere*, ab Alberto Reimaro, ut diximus, ex Italico in
 Germanicum sermonem translata, non solum Romæ su-
 persunt plurimi; sed & *Vesontione*, in Burgundiæ, ut hodie
 vocant, Comitatu, inter celebriora antiquitatis monumen-
 ta visitur, *Aureliano* Imperatori, ut *Ioh. Iacobo Chiffletio* in De-
 scriptione illius urbis visum, (d) consecratus: cuius generis,
 licet alio sine positos, ad propagandam scilicet memoriam
 virorum, arte aut Marte apud se conspicuorum, in *Sinensium*
 quoque regno extare innumerabiles, notavit non uno loco,
 (e) *Iohannes Neuhofius*, istius *περὶ μνημάτων* novissimus. De arcu-
 bus.*

s) pag 173.
 edit. Arn-
 heim. 1662.
 (t) Rom.
 Antiq pag.
 58.

n) Topogr.
 lib. 4. c. 15.
 x) lib. 1. An-
 tiq. pag 181.
 & lib 111.
 pag. 75.

(y) lib. III.
 cap. 2.
 z) In Bocor.
 pag. 606.

a) Tom. II.
 pag. 273.

b) pag. 1573.
 edit. Basil.
 c) Ap. An-
 ton. Au-
 gust p. 19. n.
 15. & pag.
 36. num. 3.

(d) Part. 1.
 pag. 40.

e) Edit. Am-
 stelod. 1666.
 pag. 173. &
 322.

bus vero illius urbium Principis, super proxime laudatos, nec non *Pomponium, Marlianum, Fabricium*, consule *Antonium Augustinum* Dial. iv. Antiquit. p. 54. & *Guidonem Pancirollum* l. Memorabil. Tit. 28. Nummus, arcum *Claudij* exhibens cum tropæis, talis est:



SPOLIA OPIMA EA ERANT) Verba *Festi* ab *Onuphrio* hic citata pag. 189 edit. Paris. 1576, ut à *Iosepho Scaligero* sunt emendata, leguntur in *Castigationibus*. ibidem, pag. 121. & in *Annotationibus* ejusdem, pag. 31. In *Schedis* vero *Pomponii Lati* à *Fulvio Ursino* evulgatis, pag. 173 edit. *Commelinianæ*; ubi similiter haud abs re erit, *notas* inspexisse. (f) τὰ πρῶτα καὶ κρείττα τῶν λαφύρων, *prima & præstantissima ex spoliis*, vocat *Plutarchus* in vita *Marcelli*, (g) simul hujus triumphalem describens pompam, qua curru insidens, ferculumque spolijs *Viridomari* regis à se occisi decenter ornatum humeris gestans urbem invecit: perinde ut in statua equestri supra pag. 80. à nobis representata, conspicitur *Cossus*, tropæum humeris sustinens. Et vero, cum fercula tropæorum ex arbore sic effingerentur, ut crucis formam præ se ferrent; hinc

f) pag. 46.

g) pag. 302.
Tom. I.

venuste *Tertullianus* ipsas cruces *intestina tropaeorum* nominavit:
 (h) Apo^m (b) allusitque ad eam consuetudinem ille aurei oris Doctor,
 loget. p. 17. Homil. 83 ex cap. XIX. Johannis, (i) cum *Adamum & Evam*,
 & lib. I. ad Nat. p. 59 ex quorundam opinione, dicit *in monte Calvarie & mortuos &*
 i) Tom. III sepultos: *& Iesum, ubi mors dominata est, ibidem tropaeum crexisse,*
 edit. Lat. hoc est, *cruce[m], quam tulerit contra tyrannidem mortis: & quem-*
 Antvv. p. admodum *victores, ita Iesum victoria signa humeris tulisse. Imo*
 155. ipse *B. Paulus*, quando *Epist. ad Coloss. cap. 2. Christum*, ait,
exspoliantem principatus & potestates traduxisse confidenter palam,
*triumphantem illos ἐν αὐτῷ, in semetipso, ut *Vulgatus* reddidit *Inter-**
*pres: sive ut *Pagninus* vertit: *exspoliata imperia ac potestates tradu-**
xisse palam, triumphatis illis per eam. ἐν αὐτῷ, respiciendo ad αὐτῷ
sive crucis vocem, quæ ultima est paragraphi præcedentis: li-
*cet priorem lectionem amplexi fuerint & *B. Lutherus* & *Era-**
*smus Paraphrastes. Ut mittam quod *Arator*, non infelicis*
*ingenii Poëta, pulcherrime *Christum polum ingressum ca-**
 (m) lib. 1. nit, (m) *carnis nostræ comitante tropæo: aliaque, quæ consimi-*
 Hist. Apo. liratione *Ecclesiastici scriptores* haud illepide protulere. In qui-
 stol. p. 213. bus etiam *Triumphus Christi* est, à *Iuvenco* Poëta Hispano lu-
 edit. Basil. culente descriptus, atque in editione *Basileensi Poelmanni Hi-*
 storia ipsius *Evangelicæ* subnexus. (n) Neque enim nunc plura
 n) Ibid. p. addam, præsertim cum *Domini nostri Iesu*, cum *Imperatorum*
 122. ac *Regum triumphis* jam compararit laudato supra libro *Iohann.*
 o) Part II. *Baptista Casalius*: nisi quod & fidelibus aliquando, post ex-
 & ap. I. pag. antlatos hujus vitæ labores, triumphus expectandus, post-
 185. que certamen hîc bene certatum reposita sit corona, non
 fragili è myrto vel lauro, sed immarcessibilis illa gloriæ, quam
 benignissimus ille misericordiarum Pater præparavit omni-
 bus ipsum diligentibus. Vbi non amplius *pugnantium* istas
 usurpabimus *voces*, quemadmodum alicubi loquitur *B. Au-*
 gustinus


gastinus: (p) Miserere [mei, Domine, quia infirmus sum; Sana me, p) Tommas
 Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima turbata est val. p. 258, edij.
 de: Et tu, Domine, usque quo? Sed triumphantium haec: Vbi mors Basil.
 est contentio tua? ubi est mors aculeus tuus? Gratias autem
 Deo, qui nobis victoriam dedit, per Dominum nostrum
 Iesum Christum.

F I N I S.



Figuram currus triumphalis refer ad pag. 50.
 Trium numis matum, ari incisorum, ad pag. 58.

BENE.



BENEVOLE LECTOR.

ATque hæc quidem sunt, quæ ONUPHRIO hæc vice visum est adjicere. Quibus addere etiam debuisssem, qualis ab illo *ex Lapidum, Nummorum, Librorumque monumentis* subjecta est, *Triumphæ picturam*. Sed cum hoc præstari à nobis nunc non potuerit; & tamen cum maxima legentiû & voluptate & utilitate conjunctum arbitremur, si eorum, quæ describuntur, veræ imagines subjiciantur oculis: quod sic & celerius & rectius omnia queant animo comprehendî; saltem *currum triumphalem* ex Onuphriana illa descriptione; alias vero, non minus huc facientes atque utiles *nummorum figuras*, ex aliorum thesauris depromtas, nostroq; sumtu exsculptas hinc inde inspergere necessum duxi. Quæ quidem, qualiacunque sunt, pro tua humanitate, æqui bonique consules, nostrisque conatibus favens, hic subnotata, nigrae est, paginis citatis, vel emendabis, vel adjunges.

ADDEN-

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 6. v. 9. lege *Ædem Bellona.*

Pag. 24. v. 18. *Veneris Victricis.*

Pag. 38. v. 19. dele vocem *anno*, & lege, *ætatis XXXIX non-*
am inchoato.

Pag. 40. v. 22. lege *Lapidibus vetustis & Politiano.*

Pag. 41. v. 9. lege *versu.* Pag. 42. v. 5. *Imbiberant plave.*

Ibid. v. 7. *pleni sunt libri.* Ib. v. 18. *professi sunt Imperatores.*

Pag. 43. v. 2. *Basilij Seleuciensis.*

Pag. 44. v. 22. post, *si placet*, lege, adde: *Et quæ Paulus Ma-*
nutius annotavit ad Ciceronis Epist. VIII. lib. III. edit. Vet. & E-
pist. I. lib. IV.

Ibid. v. 26. Transposita sic restitue: *Octavius Ferrarius*
lib. II. de Re Vestiaria, cap. VII. Iustus Rycquius etiam tangit, Com-
ment. de Capitolio, cap. XIX.

Pag. 46. Post *Dialogo XVII.* adjice: *De armillis vero Philip-*
pi Rubenij Collectanea, Electorum lib. I. cap. 38.

Pag. 50. Ante IMPERATOR CVRRVM, pone ex Onu-
phrio: FVERVNT ETIAM QVI SVMTVS AD SPECTA-
CVLA PVBLICA] Et subjunge: *Velut de Aureliano restatur*
Vopiscus: quod peracto triumpho, populo dederit voluptates ludo-
rum scenicorum, ludorum Circensium, Venationum, gladia-
torum, Naumachiarum. Quo referendus elegans Venationis nummus
ex Gutherio ad pag. 58. à nobis expressus, quodq; de Ludis Trium-
phalibus notavit Lazius, lib. X. Reip. Rom. cap. XV.

Pag. 52. v. 26. post: lib. 2. cap. 8. Appone: *Onuphrium Pan-*
vin. lib. I. Descrip. Urbis Romæ, pag. 57. & 60.

Pag. 53. v. 21. Dele: *ritus.*

Pag. 56. v. 7. Post *dedicarent*, addatur: *Tametsi non sem-*
per obtinuisse, ut albis equis uterentur, sed peculiari Senatus decreto,
hoc singulari Triumphantis honori datum, vel verba Dionis de
Julio Cæsare ostendunt. lib. 30. pag. 220.

Post

Post. 57. v. 1. lege: *Vbi & hic illa Salviani perperam eo refert.*

Ibid. v. 16. post AMICTVS, lege: *De qua Plinius.*

Pag. 61. v. 10. Verba *insultans hostibus & Cicerias*, puncto distingue.

Pag. 62. v. 1. Post *in alia omnia eant*, subde: *Quamvis in ijs, quæ nunc extant, marmoreis Triumphantium figuris Fortuna alata, non servus, coronam sustentet; ut præter Curram triumphalem, ex Onuphrio hic appictum, & illum Aureliani apud Laferium, testatur Blondus, Romæ Triumph. lib. x. pag. 150. b.*

Pag. 63. v. 29. post *Variarum* pag. 634. Adscribe: *Bulengerus lib. de Circo, ludisque Circ. cap. 57.*

Pag. 70. post *dubitari minime potest*, subjunge: *Præsertim cum & Alexander Severus apud Lampridium, ex Capitolio ingenti gloria, & comitante Senatu, Equestri ordine, atque omni populo, circumfusis undique mulieribus & infantibus, maxime militum conjugibus, Palatium pedes legatur conscendisse, cum retro currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur. Pag. 245. edit. Paris. 1621.*

Pag. 83. v. 5. post: *tropæis talis est*, adjuuge: *Icones vero Tropæorum Marj, videas etiam apud Ioh. Baptistam de Cavalleriis, libb. de Antiquis Urbis statuis; edit. 1585. Arcusque triumphales Constantini & aliorum, alio ejusdem libro, de Edificiis Urbis Romæ Illustribus, edit. 1569.*



St
10

M
T
L

STRAUCH
IN

M II

Th
4745